IOANNIS CAII BRITANNI DE MEDENDI methodo libri duo, ex Cl. Galeni Pergameni, & Io. Baptistæ Montani Veronensis, principum medicorum, sententia.

Opus utile, & iam primum natum.

BASILEAE M. D. XLIIII.

Cum Imp. Maiestatis priuilegio.

INSIGNI PRVDENTIQVE VIRO GVLIELmo Butto, HENRICI octaui sereniss. Britanniæ regis medico, doctori eruditiss. Ioannes Caius S.

ACTENVS mihi certũ deliberatũq; fuit, ornatiss. uir, ita uiuere, ut ne quis ullo indicio aliquando me uixisse sentire posset. cuius rei ratio fuit, non quòd magnam mihi chartarum uim, si quid scribendum esset, perdendam, cum Socrate putem, sed quòd in dubio se, famam, existimationẽq; ponere, qui aliquid publicè moliatur, non ignorem. Etenim ita se mortales, ætate quiq; sua, compararunt, inuidiá ne dicam, an innata prauitate, nescio, ut neminẽ hominum quamtumuis doctum, qui bonas horas in utilitatem communem pio studio collocasset, ea fœlicitate fuisse unquam obseruauerim, qui aliorum iudicium temerarium, falsas intentatas calumnias, linguæq; uirulentias effugere aliquãdo posset, usq; adeo nunquam suus cuiq; non fuit paratus μάστιξ. exemplo erunt, si cupis, in cæteris facultatibus, sui cuiusq; pro temporum ratione auctores, in medicina, tum prisci illius sæculi Hippocrates & Galenus, tum nostræ tempestatis qui ex medicis sunt

doctissimi. Galenus enim quoties, quantaq; cōtentione, & se & Hippocratem ab aliorum calumnijs falsis, ineptisq; sententijs, & passim & ubiq; uindicare studeat, nec tibi in eius operibus uersatissimo, nec cuiquam qui eadem uel negligentius euoluerit, ignotum esse debet. At de nostræ ætatis medicis qui communia studia iuuarunt, quid attinet dicere? notum enim esse arbitror, quamplurimos esse, quibus aliorum ingrata maledicentia à publicis rebus animum ita alienarit, ut eos nullius unquam facti, quàm se manum semel tabulæ admouisse æquè pœniteat: tantum abest ut aliquid de integro attentare studeant. Itaq; cum inuidiam alios quàm gratiam, inimicos potius quàm amicos ex recte factis, contra rerum naturam, ex sola hominum malitia sibi conflasse uideam, aliorumq; censuris plus quàm cynicis nunc hinc nunc inde mordicus impeti sciam: ad hæc, cum nihil tam bene dictum quod non sit aliquando reprehensum, nulliusq; animum ita syncerè erga bonas literas affectum, qui apud multos aut uanæ gloriæ aut superbiæ notam effugiat, animaduertam, hoc mihi solum superfuisse in animū induxi meum, hoc antiquius esse mihi persuadebam, ut cum apertè in hisce hominum moribus, placere nesciam, nulli saltem displicere silentio studeam. At nescio tamen quo pacto, obsequió ne in amicos, an studio in rem communem, an utroq; effectum sit, quod iam sententiam mutare, atq; aliquid audere coactus sum. Quocirca cū silentium tandem abrumpere sit necessum, proximum id consilium tutissimum mihi uidebatur, ut ad doctos uiros tanquam ad sacras anchoras in his mortalium procellis con

fugiam

fugiã, ut quæ modesto, pio, & amicis obsequenti animo prolata sunt, eorum iudicio atq; auctoritate communiri posʃint. quæ caussa partim, partim amor meus quo te prosequor, quòd, cũ unà Douarij essemus cum maiestate regia, atq; mihi in Italiã concedendũ esset, de salute mea te ualde fuisse sollicitũ intellexerim, huc me impulerũt, ut hos duos libellos De medendi ratione, quibus in summa & iunctim complexi sumus ea quæ Galenus prolixè & sparsim de eadem tradidit, quæq; IOAN. BAPTISTA MONTANVS præceptor meus optimus & doctisʃimus, perpetuis ferè quinque annis Patauij magno omnium applausu, & incredibili utilitate nos suos docuit, ad te (literatisʃime uir) ut charisʃimum loco munusculi darẽ, ut patrono docto & intelligenti dicarem. Agnosco enim tuam illam in literis eximiam cognitionem, iudicij singulare acumen, atq; in medicina summam experientiam cum prudentia coniunctam. Quare, hoc quicquid est, in tuam tutelam accipito, in gratitudinis signum habeto, & boni cõsulito. Bene uale. Basileæ, Idibus Maijs

M. D. XLIIII.

IOANNIS CAII BRITANNI DE MEDEN= *di methodo, Liber* I.

Q V I facultatem aliquam liberali uiro dignam opera ſtudioq; ſibi comparare uelit, qui artem quāpiam haud oſcitāter ſupineq́ue tractare cupit, is methodo quadam opus habet. Ea enim certa quædam cum ratione uia, & compendio ratio eſt, ut uox ipſa loquitur, ſine qua ad artium cognitionem aſpirare, nulli prorſus datur. eſt enim ars habitus quidam, qui ratione faciēdo eſt, ratione, methodoq; acquiſitus. Quod cum probè intellexerint Galenus atq; Plato, ille nullam artem citra methodum addiſci poſſe pręclarè ſcripſit: hic artis umbram, non artem eum habere aſſerit, qui ſe ſine me-

thodo artem aliquam acquiſiuiſſe credat. Vti enim uenatores niſi certas uias, certa ueſtigia, quæ ad cubile ducũt, ſequantur, feram nunquam nec uiderent, nec caperent: ita literarum ſtudioſi, niſi methodi tanquam uiæ cuiuſdam ad artes capeſſendas ductum ſequi uelint, artium ſcientiam cõſequi nunquam poſſunt: usq; adeo methodum tenuiſſe multum eſt. Quocirca operæpretium eſt, ut in ea quiſq; ſcientia quam diſcere aut profiteri ſtudet, ſibi methodum, rationemq; agendi rectã ante omnia proponat: & quidem maximè in medendi arte, quam nunc tractamus: non quò non aliquando, etiam bene conſtituto fine fruſtretur medicus, atq; moriantur multi, (ὑγιέας μὲν ὂν ποιέειν ἅπαντας τοὺς ἀσθενέοντας, ἀδύνατον: hoc eſt, ſi quidem infirmos omnes ſanos facere, nõ eſt poſsibile, uti ſapiẽter dixit Hippocrates. utiq; hoc quàm methodum ſciuiſſe, ex uoto magis eſſet) ſed quò certius diſcat, plures ſeruet, ac quàm paucisſimos in periculum agat, qui artem medicam exercet. Nec tamen ſtatim non erit peritus medicus, ſi morbum non depulit. qui

enim

enim quo morbum leuet nihil prætermittit, & secundum artem omnia gerit, probi medici officium fecit, etiamsi non omnia semper respondeāt, neq; ex sententia cadant. neq; enim orator semper persuadet: tamen ubi quod artis suæ est fecerit, oratoris, beneq; dicētis munus expleuit. Ergo, ne longum faciam, methodus, breuis est quædam rerum docendarū discendarumq; uia atq; ratio, ex natura rerum profecta, quā quisq; studiosus teneat, necesse habet. eam alij aliter in species diducunt. etenim sunt qui tres tantum esse uolunt, demonstratiuam, rhetoricam, & diuisiuam: sunt qui quatuor, idq; uarie. nam alij diuisiuam, diffinitiuam, demonstratiuam, & resolutiuam eas esse censent: alij demōstratiuam, diuisiuam, resolutiuā & compositiuā esse malunt. sed hi, si quis omnia rectè animo expendat, nō tam re quàm uerbis pugnant. quod quò facilius accipi posit, singulas persequamur.

Itaq; demōstratiua methodus, uia quędam cum ratione est, qua affectum aliquē seu pasionem rei alicui inesse docemus. ut oculorum lumen ideo deficere, quòd

aliquid pupillę obijcitur, quod in ſuffuſio-ne accidit. eaq; per omnes cauſſas, mate-rialem, formalem, efficientē, & finalē ſe diffundit. Vſus eius eſt in rebus uniuerſa libus, neceſsitate quadā ligatis, ut quibus finis cognitio eſt: utq; ab uniuerſalibus ac neceſſarijs inchoat, ita in eadem exit. quo fit, ut ad artes atq; res agendas, cum hę ab uniuerſalibus ac neceſſarijs incipiunt, & in ſingularia deſinunt, parum accommo data ſit. in his enim primus locus ſyllogiſ-mo, quem ob id πρακτικὸν uocant, ut qui ex uniuerſalibus & neceſſarijs ſingularia colligit, non demonſtratiuo datus eſt.

Diuiſiua, quam tantopere in Philebo diuinus ille Plato uel ut dei, uel ut homi-nis deo proximè accedentis inuentū lau-dat, ſine qua nihil ſciri, nihil inueniri poſ-ſe ait, methodus eſt, qua rem in membra, unum in plura diſpertimus. Fit autē uel totius in partes, & eas quidem aut ſimila res aut diſsimilares, partitione, quæ Gale no propriè diuiſio eſt: aut generis in ſpe-cies: aut uocis in ſignificata: aut ſubiecti in accidētia: aut cōtrà, accidentiū in ſub-iecta. Huius præcipuus uſus atq; utilitas,

in diffi

in diffiniendo, ſcientias arteſq; inuenien-
do, eſt. id quod nõ ignoraſſe uidentur So
crates atq; Plato, qui philoſophiã prius
rudem, hac præcipuè methodo, quę tum
apud eos, tum apud omnes academicos
maximo in uſu fuit, expoliuere. Hac, ut
ſi qua alia ars ac facultas, medicina Hip-
pocratica tãquã appoſitiſsimo inſtrumẽ-
to nõ ſolum in affectibus ſecundum præ-
terq; naturam, ſed etiam in curandi indi-
cationibus, medicinarũ uiribus indagan-
dis cum primis utitur, ut tum alibi, tum
ſub initio libri primi de Med. ratione ad
Glauconẽ, Galenus auctor eſt. Sed ex di
uiſionibus ea potiſsimũ artis cuiuſq; eſt,
quæ genus in partes formales, per diffe-
rẽtias oppoſitas, à ſummo genere ad imã
ſpeciem, ubi quieſcendum Plato conſu-
lit, progreſſa diuidit: ut idem eodem loco
tradidit. quod quemadmodum fiat, nemi
ni medicorum ignotum eſſe debet.

Rhetorica, methodus eſt, cui non de-
monſtrandi, non inueniendi, non fidem
faciendi, ſed quibuſdam uerborum leno
cinijs, & probabili potius quàm uera ora
tione ſuadendi ſcopus eſt: quam ut non
artem

artem, non Methodum, ſed fallacem facultatem appellandam Plato cenſuit, ita è ciuitatibus explodendã iure ſtatuit. nec proin Galenus Chryſippũ Stoicũ (Stoicis enim hominibus ſummo in uſu fuit) quòd rhetorica methodo, re tam leui ac ridicula, in philoſophia re omnium grauiſsima uteretur, præter meritum irriſit.

Diffinitiua methodus, ratio eſt inueſtigãdi rerum naturã, eſſentiã, atq; τί ἐστι, ut Ariſtotelis uerbo utar. uerbi gratia, ſi cui quid medicina eſt, obſcurum ſit, is ex diffinitione, ὅτι ἐπιστήμη ἐστὶν ὑγιεινῶν, καὶ νοσωδῶν, καὶ οὐδετέρων: hoc eſt, quòd ſcientia ſit ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum, facile mente comprehendet. Hæc hunc præſtat uſum, ut in ſumma, breuiterq; uniuerſam rei naturã explicet, atq; uelut oculis cõtuendam proponat. Huc ut non leuiter componendi ac diuidendi methodus facit, ita hæc ad demonſtrandi rationem plurimum iuuat.

Reſolutiua methodus, diuiſiuæ ſpecies eſt. reſoluit enim compoſita in ea unde componuntur. qua de cauſa nonnulli diuiſiua contenti, reſolutiuam neglexere.

Cæterum

Cæterum, cum aliud ſit, genus in ſpecies diuidere, aliud compoſitum in ea unde componuntur reſoluere, euidentius docẽdi cauſſa, inter diuiſiuam & reſolutiuã diſtinctum eſt. Eſt autem reſolutiua Methodus, ad artes actiõesq; humanas, quas cum ratione obimus, apprimè utilis. nam reſolutio nihil aliud eſt, quàm à notione finis, quem cõſequi quis ſtudet, progreſſus quidam, in cauſſas & principia finem reſoluens, uſq; dum ad unum aliquod pluráue, quæ ad eum finem aſſequendũ conducant, queq; opere exequi oportet, peruentum ſit. ut ſi ſanitatem, quam reſtitutam cupis, in æqualitatem, atq; calidi, frigidi, humidi & ſicci temperamentum reſoluas. nam ſanitas in æqualitate, æqualitas in primarum qualitatum iuſta temperie poſita eſt. à qua ſi corpus aboliti caloris uitio receſſerit, (quod exempli cauſa dictum ſit, ut ex uno omnia diſcas) calor reuocãdus eſt. At calor reuocatur ijs quę uel ex euentu calfaciunt, ut exercitatione, motu, frictiõe: uel ex natura, ut igne: uel ex accidẽte, ut ueſte, pipere, zingibere, concepto prius calore ex humano corpore

pore. in præsens, exempli gratia, frictionem assumamus. ergo fricandum corpus ægrum erit. quod iam medico re præstandum est. ex frictione enim calor sequitur, ex calore temperamentum, ex temperamento æqualitas, ex æqualitate sanitas, quam sibi finem scopumq; proposuit medicus.

Cum hac ex aduerso pugnat compositiua Methodus, ut ex iam dicto exemplo inuerso haud obscurè liquebit. Si quis enim ex adurēte immodicoq; frigore, morbum, euerso calore, cōtraxerit, corpus fricandum medicus pręcipit. nam ex frictione calor, ex calore temperamentum, ex quo æqualitas, ex æqualitate sanitas consequetur. Sed ex his, compositoria ad tyrones, atq; adhuc rudes docendos, resolutoria (sine qua nulla perfectè ars discitur, ut in Philebo auctor Plato est) ad prouectos doctosq; exercendos accommodatior est.

Ex his probè intellectis, haud difficile erit elicere, unde inter auctores tanta de Methodorum numero nata sit uarietas, cum pro sua quisq; ratione de Methodis

statuit

ſtatuit. Etenim qui tres tantum poſue-
re, diuiſiuam, rhetoricam, & demon-
ſtratiuam, ſub diuiſiua reſolutiuam, com
poſitiuam, & diffinitiuam cõplexi ſunt,
eoq́; reſolutiua diuiſiuæ ſpecies ſit, com-
poſitiua à reſolutiua non re ſed ratio-
ne tantum differat, diffinitiuáque à diui-
ſiua pronaſcatur. Qui autem quatuor,
ſed compoſitiuam omiſerunt, id eo conſi
lio fecere, quòd ea cum reſolutiua, re, ea-
dem ſit. Iam tertij illi, qui quatuor eſſe au
tumant, diffinitiuam tamen non aſſu-
munt, hanc conſilij ſui rationem habuiſ-
ſe uidentur, quòd à compoſitiua & diui-
ſiua diffinitiua oriatur, quæq́; nõ ſimplex
ſed mixta docendi ratio uideatur. Hoc
cõſilio & ſi alius aliud ſubticuerit, omnes
tamen, quatuor, demonſtratiuam, diffini
tiuam, reſolutiuam, & compoſitiuã, aut
tacitè inſinuant, aut apertè proferũt: quæ
quatuor quæſtionibus, unde natæ ſunt,
an res ſit, quid ſit, propter quid, & quòd
talis ſit, reſpondent. An ſit enim res, reſo
lutione, quæ mathematicis crebro in uſu
eſt, capitur: quid ſit, diffinitione, quã inſe-
parabili neceſsitate diuiſio ſequitur. nam
diffini-

diffinire nemo poteſt, niſi diuidere rectè nouerit. diffinitio enim ſpeciei ſolum eſt, ex genere & differentia conſtans, diuiſionis illius, quæ generis eſt per differentias in imas ſpecies, interuentu. quare hanc à diffinitiua methodo nequaquam ſeiungendam rectè iudicamus. Iam propter quid, demonſtratione, quam per omnis generis cauſſas fieri antè retuli, abſoluitur: quòd talis ſit, compoſitiua cognoſcitur. utcunq; ſit, Galenus in libello De arte medica, tres eſſe auctor eſt, reſolutiuã, compoſitiuam, & diffinitiuam, quæ ut omnes medicis, ita duæ potiſsimum, reſolutiua & diuiſiua, ex uſu ſunt. reſolutiua, quòd ſubinde genus aliquod obſcurum, de quo ambigitur an ſit, quoniam diuidi non poteſt, ac differentijs ſæpe eſſentialibus careat, reſoluendum occurrit. diuiſiua, tum quòd inter reſoluendum, aliquid diuidendum ſæpe ſe ingerit, tum quòd medicina ars eſt, quæ ratione & iudicio faciendo eſt. at ratione facere nemo poteſt, niſi uniuerſalia, quæ rationis ſunt, cũ particularibus, quæ actionis ſunt, componat, quod non niſi methodo diuiſiua

& reſo-

& reſolutiua fit. Iudicio uerò, niſi natura
rerum probè perſpecta & penitus cogni
ta, quod reſolutiõe fit, et rectè diſtincta, ſi
multa compectatur, quod diuiſione exe-
quitur, minus poteſt. Iccirco, haud pręter
rationem iis philoſophiam Plato, medici
nam Hippocrates & Galenus, ſcientias
ſua tempeſtate ſatis alioqui incertas, atq;
imperfectas perfecere. Sed primo Hippo
crates. methodi enim primum auctorem
eũ fuiſſe, libro De medendi meth. nono,
Galenus teſtis eſt. dein Galenus, qui, nõ
aliter atq; Italię uias Traianus, omnia cõ-
planauit, atq; expedita magis fecit: quiq;,
ut ipſe de ſe auctor eſt in ipſo initio libri
ſui, cui titulum fecit, An ars tuendi ſani-
tatem ad gymnaſten pertineat, ſine me-
thodo nihil unquam ſcriptitauit, & maxi
mè reſolutiua & diuiſiua. Has methodos,
διδασκαλίας, id eſt, doctrinas, idem Ga-
lenus ſubinde nominat: ut cum in libro
De arte medica dicat, τρεῖς εἰσὶν αἱ πᾶσαι
διδασκαλίαι, τάξεως ἐχόμεναι, hoc eſt, tres
ſunt in uniuerſum doctrinæ, ordini inſi-
tæ. His, pro triplici rerũ inter ſe ratione,
habitudine, atq; nexu, totidẽ ordines ceu

propriæ quædam paſsiones cõnati ſunt, qui ueluti tenores quidam, fila, ductusq; orationis, connexus, conſequentia, & ſeries rerum quæ doctrinis methodisq; traduntur, exiſtunt. Primus, compoſitiuus eſt. is ex habitudine uniuerſalium ad particularia fluit: quemadmodum apud Ariſtotelẽ, ab ijs quæ in diſcreta, uniuerſalia, et naturæ nota ſunt, ut principijs, cauſsis, motibus, locis, temporibus, & id genus alijs, quæ omnibus rebus naturalibus cõmunia, atq; libris περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως explicata ſunt, orſus ordo, paulatim ad particularia metallorum, plantarum, atq; animaliũ genera, in alijs libris tradita, deuenit. Secundus reſolutiuus dicitur, qui rei eſt inſtitutæ & compoſitæ ratio ad ſua principia. Tertius diffinitiuus eſt, ex partibus diffinitionis cum diffinito collatis promanans. qui quòd ex ijs quæ ante diximus intelligi poſſunt, exemplis opus non habent. Ex his, reſolutiuus, ad inuentionem aptiſsimus eſt. unde ſanè Galeno, in eo libro cui titulus eſt, περὶ συστάσεως ἰατρικῆς, is magnum, atq; adeo ſolum momentum attulit. Diffinitiuus ad artes

compen

compēdio tradendas utilissimus. quo ob id, idem libro cui inscriptionem fecit τέχνης ἰατρικῆς, usus est. Compositiuus ad docendum accommodatissimus. quocirca, cum cæteris priscis auctoribus perpetuo in usu fuit, tum præcipuè Galeno in libris alijs plerisq; omnibus præter duos iam commemoratos: idq; etiam in methodis quandoq; resolutiua, nōnunquam diuisiua, subinde demōstratiua, aliquando etiam diffinitiua, uti ex libris de medendi ratione ad Glauconem uidere est: in quibus à simplicioribus ad composita progressus, ut ordine cōpositiuo, ita methodis diuisiua & resolutiua utit̃. Sed de his qui plura uelit, Leoniceni libellum de tribus doctrinis legat. nobis de methodo in uniuersum tantum dixisse satis sit, quantum ad medendi methodū conferre possit. quæ, etsi triplici, ut ante dixi, ratione constet, diffinitiua, resolutiua, & compositiua, tamen à resolutione, in qua inquirendi principium à notione finis est, tanquam à methodo tum medicis tum cæteris plerisq; omnibus, qui facultatē aliquā profitentur, familiarissima, auspicemur.

Ergo medendi finis, omnium cõsensu, sanitas est, non qua ratione qualitas est aut habitus, sed qua bonum quiddam, æqualitasq́ quędã, seu ὁμαλότης, in bene comparato temperamento, sit: uel, si mauis, forma in æqualitate secundum naturã in humano corpore peræq́ tẽperato: quæ si una est, una erit ualetudo: sin plures, plures etiã ualetudines. Tẽperamentũ intelligo id, quod animãtium, stirpium, mixtorumq́ singulorum naturæ maximè quadrat, quod iustitiæ appellant, nõ simplex illud, totiusq́ naturę, quod ponderis mensuræq́ dicunt: ne quis cum temperamentum omne proportio quædam in rebus, ex primis illis corporibus, mutua primarum qualitatum retusa miscella, tãquam primis principijs, sit, de alio illo me dixisse putet. Hunc autem finem duplici ratione scopum sibi proponunt medici, uidelicet, ut uel tueãtur illæsum, uel restituãt amissum. Quare, duæ primæ præcipuæq́ medicinæ partes erunt, ὑγιεινή, & θεραπευτική: altera sanitatem defendit, altera morbum depellit, utraq́ uitam continuare communi consilio pro uirili parte contendit

tendit. Cæterum qui ſanitatem tueri uelit, quum aut corporis æqualitatem conſeruare, aut ne quid noxij infeſtet præcauere, aut eam uitioſe conſtitutam in melius fingere, aut fractam labefactatamq́ꝫ reficere atqꝫ reparare habet: uiciſsim cui curare animus eſt, morbũq́ꝫ depellere, cum id uictu, medicamine, aut manu facere neceſſe ſit: ὑγιεινῆς quatuor partes, conſeruatio, præſeruatio, correctio, & refectio: θεραπευτικῆς tres, διαιτητική, φαρμακευτική, καὶ χειρουργική, rectè conſtitutæ ſunt. de quibus pro methodi uniuerſalis ratiõe, abunde deinceps ſingulatim dicemus: ſed ὑγιεινὴν primo, inſequenti libro, θεραπευτικὴν perſequemur.

Itaqꝫ cui ſanitatis ſtudium eſt, is principio corporis æqualitatem, temperamentumq́ꝫ accurate conſeruare habet, cuiuſcunque id fuerit compoſitionis generis. Etenim cum in animantium corpore, commixtionum ſeu compoſitionum tria genera ſunt, elementarium nimirum qualitatum, calidi, frigidi, humidi, & ſicci temperamẽtum, quod ſimilariũ, ſimplicium q́ꝫ partiũ, ut oſsis, nerui, carnis, hocq́ꝫ

genus aliorum, est, quorum singula in ele
mēta resolui possunt: dissimilarium atq;
instrumentalium membrorum, ut pedis,
manus, capitis, ex similaribus tanquam
proximis elementis constitutio: & utra-
rumq; compago, in similaribus cōtinua,
in dissimilaribus contigua: tria etiam e-
runt æqualitatū inęqualitatumq; genera.

In primo cōpositionis genere, ubi tum
unam qualitatē, aut unā atq; alterā, nunc
in specie, ut caliditatē & siccitatē in leo-
ne, nūc in particulari atq; indiuiduo, ut fri
giditatē & siccitatē in Diocle, sæpissime
eminere: tum omnes proportione qua-
dam inter se æquabili sæpius contempe-
rari cernimus, quot primarū qualitatum
complexiones combinationesq; sunt, tot
corporum æqualitates atq; temperamen
ta erunt. erunt autem in summa nouem.
Aut enim qualitatum symmetria erit, ut
neutra alterā exuperet, sequeturq; quod
græci εὔκρατον, latini temperatum seu æ-
quabile dicunt, nō simplex illud totiusq;
naturæ, in quo æqua prorsus elemento-
rum portio est, sed quod singulis generi-
bus cōpetat, in quo, ut dixi, is est modus,
ea me-

ea mediocritas, quæ tum stirpis tum animantis naturæ optimè conuenit: Aut altera tantum qualitatum, ut uel calidum, frigidum, humidum, uel siccum excedet, eruntq́ distemperata simplicia quatuor: Aut duæ coniugatim eminebunt, ut calidum & humidum, uel calidum & siccũ, frigidum & humidum, uel frigidum & siccum, exurgentq́ distemperata coniungata quatuor. Sed ex his non nisi primæ complexionis atq temperamẽti, exacta illa atq inculpata sanitas est. cæteræ, ut laudatæ quidem & naturales complexiones, ab ijsq nate æqualitates, existunt, ita quas hæ producunt, ualetudines sanitatisq modi nec exquisiti sunt, nec omnino culpa uacant, sed per latitudinem ceu campum quẽdam, nunc in defectũ nunc in excessum tãtisper euagati, dum in neutrã partẽ impingãt, actióue naturalis ledatur, pro æqualitatũ maioris minorisúe ratiõe, aut deteriores aut meliores euadũt.

In secundo cõpositionis genere, quod dissimilium partium constitutionem uocauimus, æqualitas, non ex primarũ qualitatum commixtione, ubi potestate non

non re integra, refractis nimirum, alteraratis, remiſsisq́; formis, elementorum temperata uis manet, ſed ex partium ſimilium, quæ re diſsimilibus inſunt, ſtructuræ conuenientia pendet. Conueniens autem ſtructura erit, ſi apta compoſitaq́; forma, cõgruus numerus, debita quantitas, & conueniens ſitus poſitusq́; fuerit. Forma autem compoſita erit, ſi ſecundum naturam figura, ſuperficies, cauitas, & meatus extiterint. Figura, ut ſi caput ad capitis illius à Galeno in libro tũ De oſſibus tũ De arte medica deſcripti exemplum efformetur. Superficies, ut ſi quod natura aſperum eſt, ut τραχεῖα arteria, aſpritudinem: quod leue, ut arteriæ leues, ut oſſa magna ex parte, leuorem & habent & obtinent. Cauitas, ſi, ut oſsibus, ſinus, & capacitates medullæ naturales non deerũt. Meatus, ſi inteſtina, ſi uenæ, arteriæ, οὐρητῆρες, uaſa ſeminaria, iocineris, renum, aliorumq́; uiſcerũ atq; inſtrumentorum ſpacia, uiæq́; liberæ, ac non obſtructæ, ex re aliqua impacta, fuerint, quin calor, ſpiritus, ſanguis, atq; excremẽta per ea deferri rite poſsint. Ad hunc
ſenſum

ſenſum hoc loco meatuum nomine uten dum eſt, ac non cæcorum illorum ſpira- mẽtorum ſignificatione id intelligendũ.

Numerus congruus, ſi nec plures nec pauciores partes fuerint, ꝙ quæ à natu- ra ad uſus neceſſarios inſtitutæ ſunt. qua- re in manu aut pede, quatuor aut ſex di- giti, numerus nequaquàm congruus eſt.

Quantitas partium debita, ſi nec ma- ior minórue quàm par eſt, quamq́ reliqui corporis proportioni reſpondet. Situs uerò ſeu poſitus conueniens, ſi membra inſtrumentalia, & eorum partes, nec lon gius nec propius quàm pro naturali con ſtitutione, decenti habitu, accommoda functione poſita ſunt: ut ſi quid nec luxa tum, aut alia quauis ratione loco motum, aliò inſinuatum non fuerit.

Tertij cõpoſitionis generis, quod par- tibus ſimilaribus ac diſsimilaribus com- mune, compagem nominauimus, ęquali tas, ex ſimilariũ partiũ cõtinuitate, & diſ- ſimilarium contiguitate ſeu cõiunctione naturali ſpectatur. Cõtinuitas aũt ſimila- rium erit, ſi neque ex diuiſa carne ulcus, neq; ex tuſa, aut intenta nimium ruptio,

aut in neruis conuulſio, uenis arterijs ru/
ptio, contuſio, uel uulnus, aut oſſe fractu
ra fuerit. Contiguitas uerò diſsimilari-
um, ſi ἀποσπάσματα non fiunt, hoc eſt, ſi
partes harum ſimplices ea naturę lege in/
ter ſe componantur, ut ne à ſe mutuo ali/
quando diſtrahantur. ita enim in utriſq;
æqualitas conſiſtet, & ualetudo firma e-
rit. nec ſecus in cæteris iam commemora
tis compoſitionibus: ſi omnia naturę con
ſentiant, ſanitas aderit: ſi ſecus, ægritudo.
æqualitates enim quæ ſecundum naturã
ſunt, ſemper ſanitas: inæqualitates quæ à
natura alienæ ſunt, ſemper morbi comi/
tantur, paresq; perpetuò ſecundæ aduer-
ſæq; ualetudines, æqualitatibus inæquali
tatibusq; ſingulis exiſtunt. idq;, quoniam
ſanitas in æqualitate, æqualitas in ſimili-
um partium temperamento, diſsimilium
ſtructura, & utrarumq; compage, tribus
uidelicet compoſitionum generibus, po/
ſita ſit: pro quarum uarietate, uaria erunt
æqualitatum genera, ex quibus rurſum
uarij modi numeriq; ualetudinum conſe
quuntur. Quocirca nemini obſcurum eſ/
ſe debet, eum qui ſanitatem conſeruare
uelit

uelit, omnium trium compositionum æ-
qualitatem tueri debere. quod quemad-
modum fieri conueniat haud difficulter
intelliget, qui non ignorat similia secun-
dis conseruari, contraria aduersis mederi,
non solum per omnes in primo composi
tionis genere primarum qualitatum tem
peraturas nouem, sed per omnes etiam
in secundo, atque item tertio species. At ue
rò cum contraria ea atque similia ἐξ ὕλης ἰα
τρικῆς, hoc est, ex materia medica peten
da sunt, ut primo de ea paucā dicam, dein
singulis compositionū generibus exem-
pli causa accommodem, locus tradēdæque
artis methodus admonet. quod dum faci
am, locos quosdam constituam, in qui-
bus omnia ita disponā, ut inde tanquàm
thesauris quibusdam refertissimis, studio
sus quisque quod sibi in rem præsentem
uidebitur, depromere quàm expeditissi-
me possit.

Medica igitur materia omnia ea sun-
to, quę ad medēdi usum opportuna sunt.
Ea à Græcis, αἴτια ὑγιεινὰ, id est, caussę sa
lubres: à nostræ ætatis medicis, res nō na
turales, conseruatrices, atque alteratrices
appel-

appellata sunt. Hæc aut intro ore, alijs' ue meatibus in corpus assumuntur, aut foris tantum adhibentur, aut tum intro tum foris accedunt, aut neque intro neq; foris adueniunt. Intro ore assumuntur, cibus, potio, pharmacum: alijs meatibus, ut nare, ἔῤῥινα, πταρμικά: sede, ἐνέματα. Foris applicantur, frictiones, balnea, unctiones, fomenta, atq; id genus alia. Intro forisq; accedunt, aer, qui intro aspirando trahitur, foris sua qualitate corpus afficit alteratq;: & aqua, cuius usus ut in corpore, ita extra circaq; corpus multus est. Quæ neq; intro neq; foris adueniunt, tri partito diuiduntur, in animi, corporis, & utriusq; communes affectus. Animi, ut sunt ira odium, timor cõfidentia, mœror gaudium, animi remissio studiũ, spes desperatio, mentis & tranquillitas & pertur batio: corporis, ut exercitatio quies, temperãtia uenus, repletio inanitio: utriusq;, ut somnus & uigilia. Hæc materia, hæ syl uæ sunt, quibus ut instrumentis utaris licet. Quamobrem ubi æqualitatem similarium partium sanitatis gratia conser uare uis, hæc inter excessum defectumq;

in me-

in medio posita, ita suo loco, tempore, & modo in præsentẽ rem accõmodanda, ita moderãda sunt, ut omnia secũda esse possint. Id rectè fiet, si tũ temperaturã, sit ne tẽperata an distemperata, (quod disces ex affectibus corporis, animi, ex enatis è corpore, quãtitate, figura, & humoribus corporis, ætate, anteacta uita, uitæ proposito, uictus ratione, loco, tempore, & cœli constitutione.) tum affectus aut animi, aut corporis, aut utriusq;, qui moderandi sunt, uim affectũq;, ut quid ira, quid mœror, quid exercitatio, uenus, somnus, uigilia in humano corpore efficere possint, probè noueris. Ita enim quid cuiq; secundum, quid aduersum, quid cõcedendum, quid prohibendum ad æqualitatis tutelã, haud difficilè erit deprehẽdere. Vnde cõspicuum est, εὐκράτῳ temperatoq;, non esse dãda nisi εὔκρατα & temperata, tum qualitate, ut caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate: tum sapore, ut acredine, salsedine, aciditate: tum substantia, ut tenacitate, crassitudine, tenuitate, pinguitudine: tum odore, ut grato: nec distemperatis, nisi quæ pro excessus ratione, singu

lorum

lorum tẽperaturis gradu numeroq; ad amussim respondent. nec aliud sentiendũ de cæteris locis, quàm quod iam dixi de ijs qui ore assumuntur, & ijs quæ neq; intro neq; foris adueniunt. nam quæ foris applicantur, quæ intro forisq; accedunt, quæq; per meatus ingeruntur, eius naturæ esse debent, ut amica sint, ut nec quicquam mutent alteréntue, sed temperaturam, quæ proposita est, exacte tueantur.

Ad dissimilium quoq; partium æqualitatem conseruandam, has ipsas salubres caussas posse, rei natura docet. dissimiles enim partes à similibus, hæ à primorum corporum temperamento constant. quo fit, ut seruata similiũ temperatura, dissimiliũ quoq; cõsistat maneatq; integra. At similares si in illa sua cõpositione illæsę perstiterint, nihil exactę ęqualitati deerit, nisi ut earum debita conformatio, numerus, quantitas, & positus conseruentur. Conseruari autem hæc ab ijsdem caussis salubribus iam supra positis, & possunt & solent. nam cibus, potio, medicamenta, balneum, fomẽtum, frictio, aer, exercitatio, somnus, uigilia atq; id genus alia, alendo,

augen-

augēdo, condensando, rarefaciendo, mol
liendo, indurando, leniēdo, exasperādo,
stringēdo, laxando, partes similares in de-
bita forma, numero, quantitate, & positu
cōseruāt, ut uidere difficile nō est, cui cū
his singularum caussarum salubrium ui-
res effectusq́ componere in animo est.
Ergo qui partium dissimilarium æquali-
tatē tueri uelit, scire licet eum ad caussas
salubres recurrere debere: cum eo tamē,
ut ne ab his solis eam conseruari credat.
non enim satis est omnium salubriū cau-
sarum rationem tenuisse, nisi etiam om-
nia quæ præter rationem occurrūt, uimq́
membris contundendo, frangendo, inci-
dendo, aut immodicè impellendo infe-
runt, auertere moliaris. De tertio com
positionis genere, quod partes & seor-
sum & inter se compingendo est, eadem
quæ de secundo, dicenda sunt. Eadem e-
nim utriusq; conseruandi ratio est. idcir-
co ad eius æqualitatem tuendam, eadem
quæ supra proposui facienda sunt, ijsdēq;
caussis salubribus utendum est. Atq; ita
de conseruanda in singulis compositio-
num generibus æqualitate ac sanitate, mi
hi iam

hi iam satis dixisse uideor.

Sequitur ut de præseruatione, secunda ὑγιεινῆς parte, quam Græci προφυλακτικὴν uocant, dicam, nam ratio tuendi sanitatem, non in hoc solum posita est, ut æqualitatem conseruemus, sed etiã, ut antè retuli, ab aliquo imminenti periculo præseruemus. siquidem præseruando, impendentem ualetudinis ruinam anteuertimus, præcauemusq́ ne corpus, cum in eo statu sit, qui nec omnino sanus, nec omnino æger, sed neuter dici potest, quiq́ ut functiones naturales non planè impedit, ita deteriores reddit, in aduersam ualetudinem corruat. Huic proinde parti pro scopo est, corpus ambiguum sensim alterare, atq́ in pristinum mature restituere. unde scire licet hanc partẽ ab illa priore manifestò discrepare, cum illi non immutare, nõ innouare aliquid, sed quo statu accepit, in eo, nulla facta alteratione, corpus retinere curæ erat. quo fit etiam, ut ex toto aliud hic atq́ ibi curationis genus sequendum sit. nam ibi similibus agebatur, hic cõtrarijs agẽdum est. Etenim, uti alio loco diximus, conseruando simi-

libus

libus ac secundis, alterando cōtrarijs atq;
aduersis opus est, sed ita tamen, ut in ὑγιει
νῇ sensim καὶ κατὰ μικρὰ, in θεραπευτικῇ cu
mulatius καὶ κατὰ μεγάλα alteratio fiat. Er
go cui ingruēs malum declinare animus
est, is necesse habet, ut contrarijs contra-
riaq; ratione declinet. Cōtraria uoco, quę
sub eodem genere proximo sunt. neq; e-
nim magnum albo sed paruum, nec cali-
dum duro sed frigido contraria sunt Ex
quo igitur æqualitatis genere lapsum est,
ex eodē petenda contraria sunt. ut si tem
peratura frigida & humida fuerit, contra
ria calida & sicca assumenda. Cæterum
cum ex temperatura aliqua duplici ratio
ne labi contingit, puta uel auctis corpo-
ris membriue alicuius qualitatibus in cali
dius, frigidius, humidius aut siccius, nulla
accedēte materia, quæ huiuscemodi qua
litatem incutiat intendatue, unde actio-
nes deprauatiores ineptioresue reddan
tur: uel materiæ quæ refrigeret, calfaciat,
humectet, aut siccet accessione, citra ta-
men temperamenti aut substantiæ cor
poris, membriue noxam: si qualitatū in
cremento recessum fuerit, simplissima oc

 currendi

currendi indicatio est. nam si recessus ad frigidum sit, calfaciẽdum, sin ad calidum, refrigerandum, sin ad humidum, siccandum, sin ad siccum, humefaciendum, sin ad frigidum & humidum, calfaciendum & siccandum, sin ad frigidum & siccum, calfaciendum & humectandum, sin ad calidum & humidum, refrigerandũ & siccandum, sin ad calidum & siccum, refrigerandum & humefaciendum. Verum quantum, ad quemue usque gradum alterandum sit, cognitu difficile est, ut non dicam impossibile. Quantitas enim modusque alterandi, à quantitate lapsus recessusque sumendus est. At recessus quãtitas sciri nequit, nisi certus quidã temperaturæ naturalis gradus exactè cognoscatur. gradus autem temperaturæ exacta cognitio, nõ hominis sed Apollinis sanè cuiuspiã aut Aesculapij est, uti rectè Galenus scripsit. non tamẽ despondendus animus est, nec si certam temperaturæ rationem assequi nequeas, frangendus conatus. Etenim est quodam prodire tenus, si non datur ultra: siquidẽ ingenio atque arte non contemnendam notitiam adipisci pote-

ris

ris: probabili cõiectura, sagaci ratiocinio ad cõmunia quædam artis ac naturæ con fugiendo, quibus artis peritus imperitum superat, propijssime accedere datur. & quidem maxime, si cui mederis, tibi notum familiaremq; habes. Etenim is solus quantũ in morbum quis ceciderit, quantum à naturali habitu declinarit, noscet, qui qua cõstitutione is fuerat cum sanus esset, seseq; secundum naturam habuit, non ignorat: isq; uelut Aesculapius alter erit. Sed qui id ignorat, lõgius discedere, atq; communia quædam consectari necesse habet. Quocirca, rectè meo quidem iudicio sapiunt, qui medicum aut domi alunt, quemadmodũ in Britãnia nostra apud magnates atq; alios uiros nobiles plerosq; omnes ferè fit, aut amicitia uel munere sibi cõiunctũ habent. Sed quẽadmodum, quibusq; indicijs ad temperamenti gradum propius accedendi notitia parari posit, & ante, per capita quædam ex Galeni libris De temperamẽtis, De arte medica, et nono De med. meth. diximus, & qua secundi libri parte de signis agemus, abũdè exponemus. In pręsentia hoc

 tantum

tantum nouisse satis sit, quid agẽdum, ab ipsa intemperie, quantũ, à recessus quantitate indicari. Apparatus autem & materia, quibus hæc cõmodè perfici possunt, ab ijs locis, quos supra de materia medica tradidimus, repetũtur. Sed dum corpus, ne à sua temperatura recedat, præseruare uis, horum singula ita circumscribenda, ita moderanda sunt, ut tantum trahant alterentúe ad contrarium, quantum recessum esse coniectura assequeris. Idem de præseruatione dissimilarium partiũ compositionis, & tam similium quàm dissimilium continuitatis præcipiendum, idem agendum est. nam eodem modo & contraria sanè non lapsus generi solum, sed speciei etiam applicandum, & alterandi modum pro qualitate modoq́ mali limitandum, ijsdemq́ instrumentis seu caussis salubribus, quas paulo ante percensuimus, utendum est. Verum ubi non qualitatum ipsius membri mutatarum ratione, sed materię alicuius, quę id premat ac suffocet, accessu affluxúue uitiata temperatura fuerit, iam ut natura rei simplex non est, ita nec alterandi atq; immutandi

indica

indicationes simplices erunt. Sed rei naturã expendamus, indeq; indicatiões colligamus, singulaq; singulis cõponamus. Primò igitur affluxus est. ergo euacuandum esse indicatio est. nam contraria contrarijs semper emouenda sunt. Sed affluxus omnis uel partim iam fit, id quod ad partes maximè cõtrarias remotasq; auertendum, atq; inde euacuãdum monstrat: uel partim factus est, & per proximas propinquasq; regiones educendum indicat. Ex quo rursum duplex affluxionis locus deprehẽditur, alter à quo fit affluxus, alter ad quem. hic recipiens, ille mandans dicitur, quorum neuter uitio caret. nam prior mandat quod mandandum non erat, insequens recipit quod recipiendum non fuit. Quocirca, utriq; obsistendum, ut ne hic recipiat, néue ille mandet. quod percommode fiet, si affectibus (quorum ex signis cognitio est) unde hæc uitia oriuntur, remedia in cõtrarium adhibueris. uerbi gratia, si ex uasis laxis, apertisúe defluxus fuerit, ea quæ contrahant & corroborent: sin ex humore tenui, salso, atq; acri, ea quę crassa faciunt, salsedinem acri

 moni-

moniamq; retundunt, cuius generis sunt frigida & ἐμπλαστικά, admouenda sunt. Ad hæc, si humorib. euacuatis, affluxuq; prorsus intercepto, intemperies aliqua calida, frigida, humida, uel sicca, pro materiæ natura, ex affluxu in membro relicta sit, ea suis contrarijs tollenda, membrum roborandum, atque ad pristinum statum reducendum est. Ad hunc modum habes intemperiei cum affluxu uariam naturam. quam qui certa ratione, arteq;, ac non prout sors tulerit, remouere uelit, expeditior certiorq; ei ratio erit, quę diuisione resolutioneq;, ex natura rei fit. Qua explicata, atq; in partes diuisa, apertæ, interstinctæq; medendi indicationes ultrò sequentur. Etenim natura rerum & indicationes, uno consensu iunctæ sunt & continentes. Proin, si inuoluta, si confusa, si indistincta res fuerit, inuoluta, confusa, & indistincta indicatio erit: quantumq; distinctioni rei, tantum indicationis inuentioni distinctionis deerit, tãtum citra medendi scopum medicus constiterit. Hæc ut apertius uideantur, quæ iam prius de intẽperie cum fluxio-

fluxione diximus, exempli caussa repete re in animo est, quò medicinæ studiosos ad rem ueluti manu ducam, atque à summis ad ima diuidendo, artem commonstrem. Summum ergo rei genus intemperies cum affluxu erat. ex quo prolicuimus indicationum summum genus, fluxus nempe euacuationem. illud rei bifariam rursus distribuimus, in affluxũ materiæ partim fluẽtis, & partim fluxæ. Vnde aliæ duæ indicationes enatæ sunt, uidelicet, fluentis auersio & euacuatio ex loco opposito, & fluxæ euacuatio ex propinquo. Hanc tertia in fluxione sequebatur diuisio, puta membrum mandans quod ualidè expellit, membrum excipiens quod imbecilliter resistit, materiæ copia, tenuitas, acrimonia, salsedo, & uasorum latitudo. è quibus totidem prodibant indicationes, quarum prima erat, ut uis membri mandantis refrenetur: secunda, ut membro excipienti robur addatur: tertia, ut materia multa quidem, per euacuationem subtrahatur, tenuis uerò, crassa reddatur, acris aut salsa, obtundatur: quarta, ut uasa dilatata constringantur.

His aliud quid, quod sæpè incidit, ex rei natura accesit, qualitas nimirum quædam atq; intemperies, etiam cessante fluxione permanens, membroq́; inusta, atq; ex materia, pro suæ naturæ ratione modoq́; cõtracta. Quam etiam sua, ultimaq́; indicatio sequebatur, eius uidelicet ablatio. Cui quod ultimum in præseruando, atq; adeo in medendo est, membri scilicet in primum locũ statumq́; restitutio, consequens est. Ad hanc formam qui se exercuerit, atq; ex natura rerum probè diuisa, indicationum supellectilem sibi comparauerit, ad medendum, exiguo tempore magnum compendium faciet. Intra enim hæc, primæ præcipuæq́; medicinæ partes sunt.

A præseruatione transitus ad correctionem est, quam Græci ἐπανόρθωσιν nominant. Ei, quò sanitas alioqui lubrica, in stabilitate sit, immutandi, alterandi, atq; ad ueram æqualemq́; temperaturam ducendi propositum est temperaturas tantum naturales sine affluxu, non ut præseruatio aduentantes, præterq́; naturam constitutas, & illas uel seorsum, uel cum affluxu

affluxu: quarum utræq; ut naturales non
ſunt, ita hæ ſemper cauſſas habent pręter
naturam uel redundantiam, uel malam
qualitatem materiæ, uel initium membri
aut uaſorum, uti prius à nobis expoſitum
eſt. Sed tamē cum præſeruatione hoc ha
bet commune, quòd circa ſtatus cor-
poris naturales uerſatur. hoc rurſum pro-
prium, quòd non, ut illa, præſentē corpo
ris cōditionē tueri, ſed præſenti non con
tenta, ſaniorem acquirere ſtudet. Quocir
ca, ſi quis à primo ortu temperaturæ cali
dæ & ſiccæ, uel frigidæ & humidæ fuerit,
aut in diſsimilarium partium compoſitio
ne uniuerſum corpus, uel membrum ali
quod nimis laxum, gracile, obœſum, aſpe
rum, leue, glabrū, ſetoſum, maculis con-
ſperſum, aut hoc genus alio uitio notatū
habeat, atq; emendari, adq; ſaniorem ſta-
tum reduci ſtudeat, hoc uniuerſum erit
huius partis quæ corrigendo eſt. Nec aliò
ſpectat pars illa medicinę quę ornatu con
ſtat, quam Græci κοσμητικὴν appellant.
At cū emendare nihil niſi alterando poſ-
ſimus, cōtrarijs, ut ante diximus, certiſq;
quibuſdam indicationibus, quarum ope

& indicio rectè opus exequamur, opus est. Noscenda ergo primum temperatura est, eliciendumque calidó ne tantum, an calido & sicco, frigido, an frigido & sicco, aut alijs ad hunc modum qualitatibus uel simplicibus, uel coniugatis excedat. Dein, quãtus ille excessus sit, quoad posśit ab homine cognosci, coniectandũ est. Ita enim, non modò quid agendum, sed etiam quantũ agendum sit, protinus elucebit. Quibus perspectis atque cognitis, mox rebus temperaturæ aduersis res agenda est, ut calidam frigidis, humidam siccis, frigidam calidis, siccam humidis refringas. Materiam autem atque instrumenta ad id opportuna, ex locis caussarum salubrium, quos ante retuli, depromes, sed ita, ut ex ijs ea tantum ascis cas quæ refrigerent si refrigerare, calfaciant, si calfacere, siccent si siccare, humefaciant si humectare studeas. Quæ, quemadmodum moderãda limitandaque sint pro corporis corrigẽdi natura, proprietate, moribus, consuetudine, atque alijs id genus, suo loco abundè proponemus. Eadem corrigendi uitia in compositione partium dissimi

larium

larium ab origine contracta, ratio est, distincta uidelicet, diuisaq; mali natura, atq; ex inuentis caussis indicationibusq;, inductis cōtrarijs. Distingues autem, si ex quatuor compositionis huius generibus, forma uidelicet, numero, quantitate, & situ, in quonam uitium sit, animo cōqui res. Sed fac, exempli causa, in forma esse. At forma cum in quatuor species distribuitur, superficiem, figuram, cauitatem, & meatus, in quonam horum hoc quod quæris cōpositionis uitium sit, scrutator. Verum esto in superficie fluitare. Ergo aut in colore erit, eritq; nigrū quod esset candidum uel cōtra, uel medio aliquo colore affectum: aut in modo substantiæ, eritq; durum quod molle, asperum quod leue esse oportebat. At finge in colore uitium esse. quod si ita, quis color sit, quas caussas habeat, curiosius circunspicito. Si candor, inq; eo uitium sit, caussa in humido corpore, cuiusmodi animalis est, frigus erit. Cum enim humor crudus concrescit, albus euadit. Exemplo nix glacies q; sunt. Si in nigredine, caussa erit calor qui humorem ad summa tractum adurit,

ex quo

ex quo nigredo quędā contrahitur. Cum humorem dico, ſanguinem, ſanguiniſq́; excrementum intelligo. Nam in animantis corpore cùm calor ſuperat, crudus humor nequaquam aceruatur. Ergo cum aduruntur, ſcire licet ea atra reddi, ut in ęthiope cōſpicuum eſt. Si in medio quopiam colore affectus ſit, quanto is ad alterutrum extremum (albedinem dico & nigredinem) propius accedit, tanto alterutrius cauſſæ plus minusúe habebit. Atq; hæc tam pilis quàm cuti communia ſunt. Proinde, haud diſsimiliter in utriſq; tollendus color, cum ex eiſdem cauſsis pronaſcatur. Diuiſa atq; explicata ad hunc modum affectus natura, cauſſaq́; inuēta, quemadmodum, quibuſq; alterandi gratia rebus, ex genere uidelicet eorum quę cū illo affectu ex aduerſo pugnāt (quorū apparatus ea ſunto quæ alio loco cauſſas ſalubres nominauimus, quas quemq; in numerato habere uel maximè expedit) obuiandum malo ſit, indicationes habes. At uerò ſi uitium quod corrigis non coloris, ſed ſubſtantiæ modi, ut aſperitatis, leuitatis, duritiei, mollicieiúe fuerit, & hic

quoq;

quoq; ad primarũ qualitatũ effectus con
fugiendũ. Asperitas enim siccitatis, leui-
tas humiditatis effectus est. At duricies
& mollicies, per se quidem illa, à siccita-
te, hæc uerò, ab humiditate fit. Quod e-
nim suæ substantiæ ratione durum est, id
statim siccum est: quod molle, humidum.
Ex accidẽte uerò, quod plenum tensúm-
ue, ut uter, uel concretum cõgelatúmue,
ut glacies, dura dicuntur, ut & mollia ex
accidente, quę pleno tensóue opposita ra
tione respondent, quæq́;, ut cera, liquata
sunt. Sed hæc alterius accessu, puta frigo
ris, aquæ, aut flatus, illa perpetuò, nullo
accedente, dura molliaq; sunt, nisi si for-
san rei humidæ affluxu madeant mollе-
scantq́;. quo casu, ut non sicca, ita nec du
ra erunt. Habitis iam caussis, sequitur ut
ad affectum corrigẽdum accedas. Quod
rectè consequeris, si contrarijs qualitati-
bus caussas euertes, ut aspritudinis siccita
tem humefacientibus, leuitatis humidita
tem exsiccãtibus, duriciei per se quidem
siccitatem, humidis, per accidẽs uerò ten
sionem repletionémue, inanitione, con
gelationẽ calfactione. molliciei item per
se hu

se humiditatem, siccis, per accidens inanitionem, repletione, liquatione frigiditate discuties. Quòd si nō in superficie, sed figura cōpositionis uitiū naturale sit, idq; in puero adhuc atq; infante, ossaq; (quorum figuram membra imitantur) ob id tenera molliaq; fuerint, ac leni frequentiq; pressu sequacia, corrigendi spes est. Nam si caput depressum, crus introrsum obtortum, aut in diuersum actum, brachiumue in alterutram partem distortum fuerit, facile emendabitur, si assiduè leniterq; prematur, atq; ita in figuram contrariam sensim agat. Quod enim semel uiq; fit, rumpendi periculo non uacat. Sed si in cauitatibus meatibusq; uitium sit, adeo ut officio suo iusto pro corpore fungi nequeant, ut si capacitas uentriculi, partis ad pastum capessendum conficiendumq; datę, iusto minor naturaliter fuerit, aut uenæ sua natura iusto angustiores ampliores'ue extiterint, ne attentandam quidem correctionem censeo, quum nullo ingenio emendari posse existimē. Verum si nō secūdum naturam, ab aliqua caussa aduentitia, ac pręter naturam cauitas meatus'ue

malè

malè habet, facilis est ad pristinum resti-
tutio. Sed hoc non corrigendi, sed curan
di partis est, de qua secundo libro copiosi
us dicam. Sed age, da compositionis ui
tium in numero non forma esse, abunda
req; aut deficere membrum, idq; ex eorũ
numero quæ aut ab ortu ex semine, aut
quotidiè ex sanguine generantur. Si ex
ijs quæ ex semine ab ortu nascuntur quid
defecerit, ut digitus, neruus, uena, frustra
emendare studebis. Si abundauerit, expe
dita correctio amputatio est. Sin uerò ex
ijs quæ indies sanguine alimentoq; gene
rantur pars fuerit, siue abundauerit, ut si
pili suis locis, ut mento, capite, plures q;
aut expediat, aut uelis, extiterint, aut nõ
suis locis, quod nolles, erumpãt: siue de-
fecerit, ut si suis locis ijdem non habean-
tur, aut pauciores quàm aut deceat, aut
cupias, cognitis sublatisq; caussis, malo ar
te occurrere in procinctu est. De caussis
autem, atq; ratione ortus pilorum ita ha-
beto: pilos terrestris planè ac crassæ natu
ræ esse, atq; ex uaporibus alimenti excre
mentosis generari, perq; occulta cutis spi
ramẽta teretes pro meatuũ natura erum-
pere

pere, foris extraq; cutim congelari, atq; à radice semper latenti incremẽto auctos, tandem in longum, si id locus postulat, extendi, colorem autem pro uaporum natura sibi acquirere, ut si biliosi fuerint flauum, si adusti nigrũ, si sanguinei ruffum, si pituitosi album: sed sui copia ibi diffluere, ubi meatus neq; adeo patescunt ut uapores, qui exhalãt, dissipentur, neq; adeò conniuent, ut nihil permeet, sed ad utrunq; mediocriter se habent: & ijs hominibus, ijsq; corporis locis, quibus tum excrementi copiosi, tum caloris ualidi satis existit. Ergo ubi pilorũ copiæ detractum uelis, hirsitudinemq; corrigere studes, meatúsne, an excrementum, an calor, an ex his plures, an omnes in caussa numerosi pili sint, ex eorum signis aucupaberis, atq; pro caussarum numero & ratione, indicationes inuenies. Si enim alimentum plurimum, excrementaq; multa in corpore fuerint, partius alendum, excrementaq; educendum esse indicatio est. Quod dum facis, per locos caussarum salubrium, ex quibus agendi materia suppetet, discurrendum est. Sin meatus

tus mediocres, aut rarefacientibus am-
plos, aut contrahentibus angustos redde
mus, idq; pro corporũ natura. Si enim pi
li tenues, lanuginosiq; fuerint, à tenui ua-
pore, debiliq; calore prognati, rarefacien-
di potius meatus, ut uapores illi tenues
confertim erũpentes dissipentur. Si craf-
si rigidiq;, à uapore crasso, & calore ma-
sculo enati, rebus frigidis, ut quæ cõstrin
gendi uim habent, citius utendum. Con-
strictione enim uiarum, uapori crasso iter
præcluditur: frigore uerò, & materia re-
percutitur, & caloris uis obtunditur. At
si caloris uehementiã potissimè in caussa
pilorum esse, ex signis conceperis, eam
retundes ijs quæ frigiditatem inducunt,
materia ex locis caussarum salubrium de-
prompta, ut cibo, potiõe, pharmaco, lini
mento, unctione, aeris alteratione, atq;
regẽdis corporis animiq; motibus, ut qui-
bus corpora recalescunt, moderatione.
Ac si unà omnes tres caussæ cõuenerint,
tribus simul remedijs repellendum est.
nisi mauis medicamentis quibusdam, ut
auripigmento, calce, chrysocolla usta, a-
tramento sutorio, cadmia, pice Hispana,

& alijs id genus, pilorum radices corrum
pendo, trita & peruulgata uel balneato-
ribus ratione, idem moliri. Sed ea sæpe ua
na esse solet. nam ut pili cito cadunt, ita
cito renascuntur. nec in effectu perpetuò
medicamēta ea sunt, nisi in molliculo de-
licatoq; fœminarum corpore. Verum
si non coercere, sed producere pilos stu-
dium est, contraria prorsus ratione agen-
dum est. Glabrities enim caussas cum hi-
spiditate ex diametro pugnantes habet.
Proinde, remedia cōtraria adhibēda sunt.
quibus explicādis, cum ex cōtrarijs prius
cōmemoratis intelligantur, (contrariorū
enim cōtraria sunt cōsequētia) diutius im
morari nō est cōsiliū. Iam uerò, quæ ratio
generandi ac prohibendi pili est, eadē pi-
lorum numerum augēdi diminuendiúe,
plures pauciorésue faciēdi erit, nisi quòd
hic modicis, mitioribus, partioribusq; ge-
nerantibus, si augere, prohibentibus, si di
minuere studes, utendum est. De pilorū
defluuio ex affectu præter naturam, uti
morbo gallico, cum non corrigentis, sed
reficientis partim, partim curantis est, ni-
hil dico, sed in suum locū reijcio. Sin uerò
quanti-

quantitas in uitio sit, ut si membrum aliquod maius minusúe sit, quàm aut usus, aut decor postulat, caussa mali expiscanda, extirpandaq́ est. qua ablata, uitium una tollitur. Caussa autem magnitudinis, uel est caloris concoquentis ac dilatantis copia, uel alimenti ubertas, uasorum amplitudo, uel ipsum alimentum, dum copia moleq́ sua membrum attollit distenditq́. Si igitur membri calor, uasorumq́ amplitudo (quę in corpore secundum naturam comparato se mutuo consequuntur) magnitudinis caussæ fuerint, reprimentibus frigidis, contrahentibusq́ corrigendum, ut frigiditate calor hebetetur, contractione uasa coarctentur. Sed quandoquidem exquisitè frigida & constringentia nulla ferè extra crassam substantiam inuenire est, quæ tenuissimæ substantiæ sunt admiscebimus, ut quod per se nõ possit, per aliud in intimas partes peruadere possit. Quo in genere primas partes aceto tribuo. Id enim & tenuissimarũ partium, & frigidum est, etsi non exquisitè. nam partes quasdam putredinis ratione calidas habet. Quare, ad rei magnitudi-

nem comprimendã, rebus frigidis & con trahentibus acetũ affundito: idq; uel antiquorum medicorũ exemplo, qui cum in puellis mammarũ, in pueris testiculorũ granditatem cohibere uoluerunt, cum faba lentem ex aceto superimponebant. in illis enim refrigerandi, exsiccandi, & constringendi uis inest: aceto uerò, præter hæc omnia, quæ insigniter insunt, etiam penetrãdi uirtus excellenter adest: cuius hic uel maximus usus est, quò uidelicet in corporis usq; penitiores partes, facultates, quæ refrigerando, exsiccando, & constringendo sunt, se insinuent, ut tum calor retundatur, alimentũ exsiccetur consumeturq;, tum uasa quæ ea loca occupant, constringantur. Hæc, etsi eius medicinæ partis sunt quæ de componendis medicamentis est, prosunt tamen, nec ab instituto aliena sunt, cum in exemplum ex ijs caussarum salubrium locis, quæ foris adhibentur, adducta sunt. Succedunt quæ intro assumuntur. Inter quæ, ex cibariorũ ac potionũ generibus ad rem præsentem ex usu ea sunt, quæ refrigerant, contrahunt, ac minus alunt: ex medicamentis

mentis, quæ aluũ, urinam, aut sudorem, prout horum aliquod membro corrigen do magis conuenit, mouendo sunt. iam, ex ijs quæ & intro assumuntur, & foris accedunt, aere frigido hic uel maximè opus est. Ex ijs quæ neq; intro neq; foris, labor multus, multæq; uigiliæ, & huius naturæ reliqua, quæ studiosus quisq;, ipse per se, percensere facile potest, (nam singula persequi, & molestũ & longũ esset) utilissima sunt. Notis iam caussis, quæ mẽbrũ extendũt magnũq; faciunt, membri exilis atq; gracilis tũ caussę, tum corrigendi ratio nota est. Contrariorum enim (uti dixi) contrariæ caussæ sunt & remedia. Quapropter, si magnitudinis caussæ calor copiosus, meatus ampli, & alimentum plenius fuerint, gracilitatis, calor q; pro eo ac esse debet minor, alimentũ exiguum, & meatuum uasorumq; angustia caussæ erunt. Sin ibi refrigerantibus, exsiccantibus, & contrahentibus usus es, hic quæ calorem augeant, ad membrum trahant, plenius nutriant, ac meatus distendãt utendum erit. Quorum sylua, ex caussarum salubrium locis, ob crebram

nunc repetitionem nulli non notissimis, petenda est, sed præcipuè, ex ijs quæ foris adhibentur: cuius generis sunt dropaces, sinapismi, & quas Græci, πιττώσεις, uulgus, picationes, quòd ex pice augendus locus oblinitur, nominant: ex ijs quæ neq; foris neq; intro accedunt, ut gracilioris partis exercitatio, sed moderata quidē illa. Nam moderata calorem innatum auget, bonum corporis habitum reddit: immoderata cōtra, refrigerat exsiccatq;. Eadem quoq; ratio in ijs quæ foris applicantur habenda est. Nam si dropaces, picationes, atq; sinapismos ultra debitum loco applicatos siueris, non modò non augebitur locus, sed etiam exsiccabitur, alimentum dissipabitur, spiritus digerentur, ac membrum frigidius, siccius, graciliusq; quàm pro naturali constitutione atq; habitu, reddetur. Vsq; eò igitur permittenda hæc sunt, quò locus rubescat, intumescatq;. Rubor enim caloris, tumor alimēti satis esse attractum, indicat. Demum, si compositionis uitium, quod corrigere contendis, non forma, non numero, nec quātitate, sed situ fuerit, ut si ex articulis

aut

aut nimium laxis, aut nimium compressis, motus, functionesq; ineptiores deterioresq; fiant, cognito laxitatis caussam exuberantem humiditatem, compressionis nimiam siccitatem contrahentem existere, petitis ex materiæ medicæ locis, potissimum ijs quæ foris applicantur, instrumentis, rebusq; ad id opportunis, quæ laxa contrahant, compressa humefaciant, corrigemus. Et hęc de castigandis, quę in compositionis inæqualitate sunt uitijs naturalibus. Nunc ad tertium inæqualitatis seu distemperamenti genus, quod partibus similaribus ac dissimilaribus commune est, continui uidelicet solutionem ueniendum fuit, nisi q̃ nõ ad corrigendi sed curandi partem id pertineat. Non enim naturalis affectus est, quem ad habitum rectiorem ducere cõueniret, sed ex toto genere præter naturam est, functiones manifestè offendẽs. Quare, inter morbos collocandum, atq; hoc loco prætermittendum est. Itaq;, de corrigendis per omnia compositionũ genera (quatenus id fieri potest) uitijs naturalibus, his mihi, pro methodo uniuersali, abunde dictis, ut

ad reliqua oratio se conuertat, iam tem-
pus suadet.

Igitur quoniam de tribus ὑγιεινῆς parti
bus dixi, consequens est ut de quarta scri
bam, ea uidelicet quæ Græcis ἀνάληψις,
latinis refectio dicitur. Estq;, cum corpo-
ris ex ægritudine cõualescentis, atq; dum
imbecilli, ita tamen ut nec ægrũ dici pos-
sit, cum iam in morbo nõ sit, nec ualens,
cum ad functiones obeundas etiamnum
sit impotens, uires ex morbo exacto fra-
ctas afflictasq; solamur, ac reficimus: id
quod huius partis solum atq; à cæteris pe
culiare est officium. Nam hoc genus cor
pus, nec conseruandum est, cum præsens
conditio immutanda sit, nec præseruan-
dum, cum periculum recessit nõ ingruit,
nec corrigendum, cum uitium naturale
nullum est. In hoc tamen pars hæc cum
correctione, atq; item curatione conue-
nit, quòd circa præsentem corporis cõdi-
tionem elaboret: ut in hoc rursum ab u
trisq; differt, quòd non id agit, ut naturali
temperaturæ habitum saniorem inducat,
ut correctio: nec ut affectum præter na-
turam factũ iam & permanentẽ, ex quo
actio-

actiones lædantur leuet, ut curatio; sed ut
uires ex præterito non præsenti morbo
conquassatas, atq; ad functiones inhabi-
les factas, exhibendo ea quæ ex usu sunt,
quo aliquid, uti robur, corpori accedat,
decedat nihil, foueat, refocillet, reparet.
Ex quo rursum non obscuro discrimine
à præseruatione & conseruatione uariare
internoscitur, cũ hæc non ut præsentem
corporis conditionem resarciat, sed tuea-
tur, illa ut præsentem negligit, ita ut futu-
rum impendensq; malum præcauendo a-
uertat, incũbit. Atq; ita quidẽ similis dissi
milisq; cæteris tuendi sanitatem partibus
refectio est. Reficiendo uerò pulchrè eri
mus, si, ut ante semper, ex natura rei exor
diũ capiemus, exq; ea bene cognita & di-
uisa, indicatiões hauriemus, & earum nu
tũ inditiũq; rectè secuti fuerimus. Rei aũt
naturã ex caussis discemus. Tum enim u-
nũquodq; scimus, cum caussas norimus.
Hic ergo res, robur, tenor, in agẽdoq; cõ-
stãtia ac firmitudo est. Sed hæc à facultate
procedit. facultas ex sede quadã seu fonte
nascitur. Vnde igit agẽdi facultas, ex eo
uis roburq; promanabit. Quo fit, ut, qui

roboris caussas cognitas habere uelit, ut facultatum fontes sedesq; habeat perspectas, expedit. Sed cum sedes, facultas, atq; actio, tria hæc, mutuò alia ex alijs pendeant, cæteras illas ex actione, re nobis omnium notissima, haud indiligenter uenemur. Eam autē triplicē esse, uel oculis capere est. Videmus enim corpus ali, augeri, spiritū trahere atq; reddere, uarijs motibus agi, uario sensu uti, triaq; hæc actionū genera, à se genere interstingui. Quamobrem, à facultatibus tribus genere diuersis oriantur, necessum est. Quarum, quæ primum actionis genus producit, naturalis, quæ secundum, uitalis, quæ tertium, animalis ab effectu dicitur. Harū rursus sedes tres, ob id etiamnum & ipsæ diuersæ, sunt. Nam iecur, naturalis, cor uitalis, cerebrum animalis sedes est. Quę, quemadmodum sese habeant, ut masculas, ualidasq; facultates producant, ex tribus compositionum æqualitatumq; generibus repetēdum est. Pro ratione enim similarium partium temperaturæ, dissimilarium compositionis, & utrarūq; unionis, ualetudo aut inualetudo mēbrorum

sediumq;

ſediumq́ erit. Ex quibus rurſum pro ra-
tione, facultates ualidæ aut ſecus, uireſq́
efficaces aut debiles procreantur. Sed ad
hæc agẽdi munia obeunda, ut ex ſe ſedes
illæ non ſufficiunt, ita alijs inſtrumentis
opus perficiũt. Ea partim omnibus com-
munia, partim cuique ſedi priuata ſunt.
Communia ſunt, calor inſitus, ſpiritus
tum animalis, tum uitalis, tum naturalis.
Quorum, calor inſitus, à ſpiritu uitali fit.
à quo uiciſsim ſpiritu per arterias ſurſum
elato, atque in reticulari plexu elabora-
to, animalis ſpiritus generatus, in cere-
bro tanquàm arce conſidit, unde per ner
uos, (nerui enim à cerebro tracti ac pro-
fecti, in corpus omne ducuntur) in uni-
uerſum corpus diffuſus, animalem, hoc
eſt, mouendi ſentiendiq́ facultatem præ-
ſtat. At uitalis, ex attracto ſpiritu, ſangui-
niſq́ tenui ſubtiliq́ parte genitus, in cor-
de domicilium habet, atq; ad reliqua cor-
poris membra per arterias amandatus, ui-
tales actiones concitat & producit. Por-
rò, naturalis ſpiritus, ſi quis ſit, uti cæteri,
ex corde ortus, in iocinere ueniſq́ princi
patum tenet, ac functiones naturales, at-
trahen

trahẽdo,retinendo, cõcoquẽdo, alendo, expellẽdoq́; efficit. Priuata sedi cuiq; sũt, quę officio aliquo cuiq; ministrãt: ut cerebro nerui, musculi, dũ sensum motũq́; corpori largiũt: cordi pulmones, arteriæ, dũ uitam confert: iocineri uentriculus, intestinum tenue, uenæ meseraicę, quę corpori alimentũ conficiẽdo præparãt: intestinũ plenius, uesica bilis, lienis, ren uterq;, quę excrementa excipiũt: uena caua, atq; alię ab ea enatæ, quę nutrimẽtũ in omnes partes deferũt: in summa, omnia corporis mẽbra, quæ alimentũ delatũ exactius concoquũt, sibiq́; quàm simillimũ faciũt. Quocirca, ut uires atq; facultates, (quę in spiritibus & solidarũ partium tẽperatura positæ sunt) ad functiones robustius præstandas firmę cõstantesq́; sint, summa cura opus est, nõ modò ut tria illa facultatũ principia atq; sedes nihil habeant præter naturã, suasq́; æqualitates cõseruent tuenturq́;, sed etiam ut instrumẽta ijsdem omnibus communia, calor uidelicet innatus, spiritusq; omnis generis, nec qualitate, nec quantitate à natura recedant, atq; alia illa singulis propria, à suis æqualitatibus nec
tempe

temperatura, nec compositione, nec com
page ac unione secedãt. Omnia enim na
turæ regula metienda sunt, ut optima sa-
nitas, plenæq; uires constent. Quamob-
rem, si horum aliquo, omnibusúe labora-
tum fuerit, idq; uitium ad statũ usq; præ-
ter naturam, actionumq; læsionem se sa-
nè proferet, morbus statim erit, curan-
dumq; est. Sin infra constiterit, deterio-
resq; tantum, ac deprauatiores actiones
reddiderit, præseruandum est. Sed si non
ex præsenti caussa, sed ex præterito mor-
bo factum sit, ut facultatũ uiriumq; (quæ
morbo fractæ imbecillitate elanguescũt)
in uitam officia minus constẽt, idq; quo-
niam ab inęqualitate in primis instrumen
tis ut corde, cerebro, hepate: aut secũdis,
siue cõmunia, siue particularia ea fuerint:
aut utrisq; uitiabatur sanitas, atq; ex uitia
ta sanitate facultates conciderunt: ex quo
uirium imbecillitas promanauit, reficien
dum est. Sed huius inæqualitatis seu im-
becillitatis ratio atq; caussa, ex resoluta
corporis substantia inanitio est, à morbo
exacto nata. Ex ea enim in instrumentis,
ac facultatum sedibus, inæqualitates, ex
his

his deterior sanitas, ex qua imbecillæ functiones oriuntur. Sed inanitio hęc, ut nec morbi unde nascitur, una non est. Vt enim morbi pro sua uehementia, symptomatum sæuitia atq; grauitate, aut contra, temporis spatio quo male habuerunt, aut partium siue animalium, siue uitalium, siue naturalium, quas infestant ratione impendio uariant, ita inanitiones uariæ, uarijq; imbecillitatum modi erunt. Cæterū ex his, quæ quibus grauiores peioresq; sunt, ex facultatum, quas ψυχὰς, id est, animas, Plato nominat, usu atq; dignitate nosces. Grauiores enim sunt quę ex ijs facultatibus dependent, quæ læsæ maiora grauioraq; incommoda corpori inferunt, quàm cōtra: ut uitali naturaliq;, quàm animali. Nam animali in sensu & motu posita, et si priuari graue est nocumentum, id tamen non ita in omnes partes latè se diffundit, ut propterea facultas uitalis atque naturalis grauiter lædantur. At si uitalis, quæ in corde est, ubi etiam spiritus, actionum instrumēta, generari diximus, lædatur, ut uniuersum corpus periclitat̄, ita si naturalis laborauerit, aut corpus ἀτροφία, uitio

uitio quo corpus non alitur, extabescit, calor naturalis intercidit, temperamentũ perit: aut spiritus, quos à puriore sanguine fieri ante retuli, non sine totius corporis uiriumq; dispendio cadũt, exhaustoq; corporis succo, præ nimia ariditate absumuntur. Itaq;, imbecillitatis momentum, ex facultatum læsione pensitandum, læsioq; in ipsis'ne facultatum sedibus, an secundis instrumentis consistat, inspiciendum est. Grauius enim periculum est, malumq; latius serpit, si primæ sedes, ut cor, cerebrum, iecur affectæ sunt, quàm si instrumentum aliquod solum lęsum fuerit, extra cuius ut plurimum fines, ad uicinas partes morbus non se profert. Quod nõ ignorare medicum, non mediocriter iuuat. Ergo, cum uires exhaustæ reficiendę fuerint, omnésne facultates, an plures, an una defecerit, accuratè perspicito. Perpendendũ dein, utrũ defectus ille ex morbo natus sit, læsa una, una atq; altera, tertiaq; sedium, an ex secundorũ instrumentorum aliquo præter naturam affecto, ita ut una tantum parte, ac nõ uniuerso corpore imbecillitas facta fuerit. Postremo,

quænam

quænam huiusce imbecillitatis, siue toti-
us corporis, siue partis, caussa fuerit, cum
primis æstimandũ. Si enim inęqualitas in
tẽperatura calidi, frigidi, humidi, uel sicci
in caussa fuerit, contrarijs rebus obsisten-
dum, quorum materia ex caussarum salu
brium locis depromenda est. Sin autem
in compositione, quæ propriè refectoriæ
partis est, caussa fuerit, in diminuta quan
titate erit. Cæteræ enim compositionis
species, therapeutices potius sunt. Sed
ex quantitate diminuta, imbecillitas tri-
plici de caussa euenire solet, solidorum
membrorum siccitate, spiritus & sangui
nis nimia euacuatione. Præ siccitate e-
nim, membra ad omnia officia tum uita-
lia, tum naturalia, tum animalia ineptissi
ma sunt. Neq; enim calor membri, qui
temperamentum sequitur, exiguus iam
ac penè siccitate exolutus, à calore natu
rali exuscitari, uiuidusq́; ad uitales opera
tiones exercendas reddi potest: neq; defi
ciente calore, aut attractio aut retentio,
alteratio, aut concoctio, expulsio, aut assi
milatio fieri potest. Iam, quæ sicca sunt,
dura sunt, quæ dura, motui inepta sunt:
utq́;

uitq; motiuæ uirtutis imperio parum audi
entia sunt, ita sensitiuam minimè admit-
tunt. Quare, præterquàm quòd sensim
extenuata, macie conficiuntur, iure infir
mantur etiam, atq; ad opus peragendum
segniora reddũtur. Nimia autem sangui-
nis spiritusq; euacuatiōe, siue à caussa in-
trinseca ac naturali, siue extrinseca & prę
ter naturã ea fuerit, uires concidere, nul-
la in re membro graciliori effecto, consue
runt: tum quòd spiritus omnibus agendi
facultatibus communia instrumēta sunt,
sine quibus facultates nihil possunt, tum
quòd in sanguine spiritus continentur.
Spiritu igitur digesto, exhaustoúe san-
guine, ex cuius tenuissima parte spiritus
produci diximus, nihil mirum uideri de-
bet, si membrorũ firmitudo collapsa pro-
sternatur. Ex his itaq; caussis per signa cō
gnitis, ac probè inter se discretis atq; in-
terstinctis, ubi reficiendum quid sit, refici
endi indicationes, caussarũq; salubriũ syl-
uę nusquàm nō se offerent. Si enim spiri
tus tantũ, nullo effuso sanguine, ex uehe
menti quidem, sed breui euacuatione, ut
defessione, aut uenere digerũtur, cibi qui

e facilè

facilè concoquantur, ac multum alant, exhibendi sunt. Potiones item eiusdem generis, inter quas prima laus uino fuluo, tenui, aromaticoq; datur. Id enim alendi facilitate omnia alia antecedit, q̄ substantiæ tenuitate tum citissime in partes subit, tum pro spiritibus generandis excellenter facit. Ad hæc, aer esto perflatu salubris, liber, odoribus gratus. Nam uix dici potest, quantum odoris gratia spiritus recreentur, refocillenturq;. Adsit præterea quies, somnus, iucūdus lætusq;, decussis ex animo curis ac molestijs, cum amicis congressus. Vix enim fieri potest, ut post hos modos, hanc animaduersionem, spiritus uiresq; non sequantur, maximè, si corpus quod reficis ætate integrum iuuenileq; fuerit. Etenim in hoc, ut spiritus citissimè dissoluuntur, ita citissimè reparātur. Sed si unà cum spiritu sanguis quoq; copiosus emanarit, ut in hæmorrhoide, fluxu muliebri, atq; è naribus sanguinis profluuio, tanto obnixius incumbendum est, quanto maiori negocio sanguis quàm spiritus generari cōsueuit. Hic ergo omnia eò referenda, ut sanguinem

nem reponas. Id autem rectè assequeris, si corporis conditionem probè intueberis. Etenim ex diminuto sanguine, corpora omni ex parte, tam principe quàm secundaria frigescunt. Quod autem frigidum est, ad cōcoquendum ineptum est. Quocirca, pro caloris modulo, cibi qui facilis concoctionis, pleniorisq; alimenti sunt, modus, qualitasq; proponenda est. Vt enim modicum, & suis uiribus aptum calor modicus probè conficit, ita pleniori quàm pro eo ac natura sua fert, facilè succumbit. Huc faciunt somnus, animi motus, sed qui naturæ rationem non excedant: exercitatio etiam, sed moderata quidem illa, ut calfaciat tantum, nec resoluat. Sin siccitate corpus squaleat, nō quidem illa tabidorum arida, quæ ne curationem quidem, tantum abest ut refectionē admittat, sed qua membrorū solidorum, quæ ex semine generantur, caro, adeps, sanguisq; exoluuntur, ut à longis morbis ac peracutis euenire solet, siccitatem amouere conandum est. Sed id opus laborq; est, utiq; cum substantia cordis sicca euaserit. Proinde, non infimum, immo

 præci-

præcipuum refectoriæ partis officiũ est, membra solida, ubi exsiccata fuerint, ad suam naturam reuocare. Nõ enim in spiritũ atq; sanguine tantum, ut facultates, earumq; functiones serues, firmes, reparésue positum est, sed in membrorum illorum principum quoq; ubi illa sedes habent, unde fluunt, à quorũ temperamento originem ducunt, æqualitate. Itaq; dandus cibus potioq; est, qui facilè copioseq; alat, sed tamen semper pro caloris modo, ne alioqui multitudine oneretur, nimia copia obruatur. Proin, si quod dederis, iusto minus uidebitur, iterandum est, ut numero, uicibusq; repetitis suppleas, quod quantitati iustæ, plenæq; moli, caloris seruandi caussa, subtraxeras. Satius enim est, cum salute pastum diuidere, quàm cũ periculo cumulatè, pleneq; capere. Sed quandoquidẽ nõ raro usu uenit, ut membra exsiccata usq; eo deficiens calor infirmet, ut nec attrahant, nec conficiant, studendum est ut aucto calore, facultates naturales roborẽtur, quò attractio & retentio, concoctio & expulsio, suo queq; tempore, fiant. Calor autẽ augebitur, si mediocri-

diocriter fricueris, non à cibo modò, sed ante cibum etiam, leuiterq́ ungas ex medulla uitulina, ex oleo camemalino, sesamino, & amygdalino, sed ex dulcibus illis amygdalis expresso, butyro recente, atq; aliјs id genus, blandeq́ linteis modicè calentibus, tum pręcordia, tum uniuersum corpus citra quietem foueas. Dropaces etiam, atq; sinapismos, sicubi opus erit, adhibeas licet. sunt enim emplastra, seu cerata, ex rebus calidis & s..cis in tertio confecta, quæ loco cui apponuntur, non modò calfaciendi, sed aliunde quoq; & calorē & alimentū attrahendi potestatem habent. Verū, hæc qualia sint, unde cōponantur, quemadmodū applicanda sunt, quamdiu permittenda, ut Galenus & Paulus Aegineta abunde docent, ita nostri instituti non est ea persequi, singulorum morborum apparatum instruere, atq; medicamenta consectari, sed uniuersorum methodum tradere. Illa enim, medendi methodo plenè cognita, spōte plenaq́ manu sequentur. Idcirco, ea missa faciam, atq; ad curationē, secundam medicinæ partem, ueniam.

IOANNIS CAII BRITANNI DE MEDENDI METHODO LIBER II.

IXI περὶ ὑγιεινῆς, prima medicinæ parte, quæ ualetudini tuendæ est, nunc ad θεραπευτικὴν, secundam, qua præsentẽ morbum, & iam nunc urgentem affligentemq; summouemus, transeundum est. Summouebimus autem quàm optimè, si naturam rei, hoc est morbi, cognitam perspectamq; habuerimus. Quanto enim à morbi cognitione longius recesseris, tanto inter medendum aberrabis. At uerò præcise morbum nosces, ubi quas caussas habeat, quibus signis deprehendi posſit, probè tenueris. Etenim cum tria ex toto sint, quæ cum natura nostra pugnant,

caussa

cauſſa, morbus, & ſymptoma, cauſ-
ſis, quæ ſemina, & ſymptomatibus, quæ
ſigna morborum ſunt, cognitis & per-
penſis, nullo negocio in morbi cognitio-
nem deuenire poſsis. Quare, ut antè de
his, quàm de morbo, dicam, natura rei
ſuadet: & primo de cauſsis, mox de ſig-
nis. Cauſſę, aut internæ ſunt, inq; ipſo cor
pore noſtro natæ, ut ſanguis, pituita, u-
traq; bilis præter naturã affectæ: aut ex-
ternæ extraq; humanum corpus poſitæ,
ut frigora, æſtus, uenena. Primas προηγου
μένας, alteras προκαταρκτικὰς Græci no-
minant. Et hæ quidem affectus ſunt præ
ter naturam, qui morbum præcedunt ex-
citantque. Symptomata uerò, affectus
præter naturam ſunt, qui morbum conſe
quuntur. quibus ob id ἐπιγεννήματος etiã
nomẽ à nonnullis olim medicis inditum
fuit. Hæc tripartito diuiduntur. Etenim
aut functionum offenſæ, aut corporum
affectus, aut excrementorum immodera
tæ excretiones, uel ſuppreſsiones ſunt.
Functionum rurſus offenſæ, pro faculta
tum ex cerebro, corde, & iocinere ratio-
ne, trium generum ſunt, animaliũ, uita-

lium, & naturalium. Offendũtur autem actiones tripliciter, idq́ ita, ut aut debiliter, aut deprauatè, aut omnino nõ agant. Ergo animalium functionũ offensæ, aut sentiendo sunt, ut cum uel nullus, uel hebes, uel deprauatus uisus, auditus, gustus, odoratus, uel tactus sit, idq́ patiente uel præcipuo sensus instrumẽto, uel uirtute, uel parte famulante: aut mouendo, ut cũ membrum aliquod uel difficulter, uel omnino non mouetur: aut principaliter agendo, utiq́ ablata, labefactata, uel deprauata imaginatione, ratione, uel memoria. At naturaliũ functionũ cũ facultates quatuor sint, attractrix, retentrix, cõcoctrix & expultrix, quatuor etiã offensæ erunt, nulla, debilis, uel deprauata attractio, retentio, concoctio, & expulsio. Cæterum uitalium functionum offensæ duæ sunt, cadẽtes animi seu λειποθυμία, & ἀσφυξίαι κακοσφυξίαι ue, id est, nulli uel deprauati pulsus: quæ duplici suæ facultati respondent, animosæ uidelicet ui, seu animi constantiæ & firmitati, quæ Græcis θυμὸς, latinis animi dicitũ, & alteri illi, quæ ut à corde promanat, ita cordi cum arterijs cõmu

nis

nis, pulsus auctor est, atque in corpus omne per easdē delegata est. etsi non ignorē Galenum libro De differentia febriū tertio, & Sympto. caussis quarto, pulsum inter functiones naturales numerasse, credo, quòd non arbitrium nostrum, sed naturā in agendo sequatur, non quod uitalis facultatis functio nō sit. Post actiones læsas, proximi, corporis affectus sunt. Hos in quatuor genera dispertimus. Nam alios uisu, alios olfactu, alios gustu, tactu alios usurpamus. Visu, ut colores omnis generis præter naturam constitutos, qui aut unū membrū, ut ex carbunculo ater, aut plura, eademque uel superiora omnia, uel omnia inferiora, ut sæpe ex morbo fit, aut uniuersū corpus, ut ex arquato croceus, defœdarūt. Olfactu, ut fœtores narium, aurium, alarum, putrescentiumque partium: ructus item putidi, qui fumum, acorem, uirus, aut piscem olent. Gustu, ut sanguinis laborantis ore redditi dulcedo, salsedo, amaritudo: aut sputi, auris sordiū, sudoris, uomitúsue sapor salsus, acidus, amarus, dulcis, austerus, idque excellenter aut remissè. Tactu, ut cutē esse præter

naturam tensam, duram, aridam, laxam, aut rugosam. Vltimæ sunt excretiones aut suppresſiones, quæ secundum naturam non sunt, excrementorum. Eæ triplices sunt. Aut enim à natura toto genere alienæ sunt excretæ substantiæ ratione, aut quantitate, aut qualitate. Substantiæ ratione, ut fluxio sanguinis è naribus ex uena uel rupta, uulnerata, patula, uel exesa: sanguinis item, uomitu, tuſsi, screatu, deiectione, uel mictu excretio. Quantitate, ut mensium, urinæ, sudorum immodicum uel nullum, uel iusto minus profluuium. Qualitate, ut cũ alui, uesicæ, locorumúe muliebrium purgamẽta præ tenuitate non cõsistunt: acrimonia, mordacitateq́ue sua fluxum sollicitant: aut contra, ubi tam iacenti sint qualitate, ut nihil prorsus stimulent. Hęc symptomatum omnia genera atque capita sunt: quæ qui mente repetet, uberem signorum copiã, quæ morbum, etsi altè repostum, detegant, semper in promptu habebit, siue παθογνωμονικὰ, συνεδρεύοντα, uel ἀδιάφαινόμενα seorsum, siue iunctim uelit. παθογνωμονικὰ uoco, quæ unà cum morbo inua-

inuadunt, ut cum lateris doloribus acuta febris, ſpirandi difficultas, tuſsis, puncta quædam: nec ſeparari poſſunt, ut nec umbra à corpore. Quorum ea natura eſt, ut omnia iuncta, neceſſario morbum arguant. Quanquàm ſubinde etiam unum ſolum id præſtat, quemadmodum rigor uehemẽs, aut punctio tertianam febrem.

Συνεδρεύοντα nomino, quæ modò cũ morbo inuadunt, modò ſuperueniunt morbo, modò ne omnino quidẽ ſe oſtendunt, tantum abeſt ut neceſsitate aliqua, quemadmodum παθογνωμονικά, coniuncta morbo ſint. Plerunq; tamẽ incidunt. Huius generis, ubi lateris dolor torquet, ſunt dolores, uel ad precordia, uel uſq; ad iugulum, in latus patiẽs citius quàm ſanũ cubandi dulcedo, ſputi ſcreatus. Ἐπιφαινόμενα appello, quæ morbum conſequuntur, ita tamen, ut ſiue eueniant, ſiue ſecus, promiſcuè ſe habeãt, cum nec neceſſaria ſint, uti παθογνωμονικά, nec familiaria atq; ſæpius incidẽtia, ut συνεδρεύοντα, aliquando tamen ſe exerunt. Exemplo erit alui fluor in præfata pleuritide. Atq; ita ſe habent ſigna & ſymptomata.

Iam, quas ea caussas habent, quid tibi ex ijs consilij capiendum sit, & qua ratione, paucis aperiam. Diuidam autem hanc tractationis partem sicut priorem, & ante dicam de actionibus læsis, tum de affectibus corporis, ultimò de excrementis. Incipiam à functionibus animalibus. Cum igitur ex signis apparentibus morbos occultos noscere cupias, num quid in actionibus animalibus immutatũ, lęsúmue sit, curiosius circumspicies, cũ eo, ut illud in uniuersum non ignores, omne actionum genus, ut antè dixi, triplici ratione lædi posse: ablatè, ut cum omnino agere nequit, aut diminutè, cum agit quidem, sed debiliter: aut corruptè, cũ præter decus, & nõ ut i oportet agit: ut cum corpus aut membrum in tremore est. Harum læsionum caussæ sunt subinde quidem, qualitates simplices sine materiæ affluxu. Etenim frigiditas prima ratione, humiditas, secunda, aut ablatè, aut diminutè agendi caussę sunt, prout intensę aut remissæ fuerint. Nam si intensæ extiterint, ablatè: si remissæ, diminutè. ut & caliditas primariè, corruptè agendi, siccitas secundariè caussæ

caussæ sunt. Subinde uerô materiæ afflu xus, sed nõ ita stata ratione. Nã etsi materia calida & sicca hoc præcipuũ eximiũq; habet, quòd semper actiones corrumpat, frigida uerò & humida plerũq; & auferat & diminuat, non tamẽ perpetuũ, quẽadmodum in nudis illis sine materia qualitatibus, hoc est, ut in oculorum suffusionibus quas uapor frigidus ex uẽtriculi consensu facit, & in conuulsionibus quas pituita, uidere est. Ergo, ut redeam, an in ægro corpore principis facultatis, hoc est, imaginationis, rationis, & memoriæ actiones læsæ sint, primum æstimato. Quod si ita, quemadmodum læsæ, ablaté ne, an diminutè, an corruptè. Etenim si corruptè, aut in cerebro intemperies est calida & sicca, qualitatis tantum ratione, aut affluxus materiæ calidæ & siccæ. Sed horũ utrum sit, ex materię quę præcipuè abundat inditijs, pro signorum ratione acceptis, discernere non est difficilè. Dein, ad sensus accedito, atq; an uisus, auditus, odoratus, gustus, an tactus læsus fuerit, idq; an ablatè, diminutè, an corruptè, ex qualitatibus nudis, an materiæ affluxu, pro

ratione

ratione dominãtis materiæ, ex signis huc pertinentibus expendito. Postremo, ad motricis facultatis actionẽ deuenito, quæ si in hac illá ue parte, siue id cerebrum, siue aliud mouendi instrumentum sit, affecta fuerit, ablatè, diminutè, an corruptè, pro caussæ natura, siue intemperies sicca humidáue ea fuerit, ex indicio eminẽtis in alterutris materię, indagato. Post hæc, facultatis secundi generis, hoc est, uitalis functiones haud dissimili, sed eadem prorsus ratione examinandæ sunt. Sunt autem, ut dixi, duplices. Aut enim in ipso corde sunt, cordisq́ gratia fiunt, ut uis animi seu θύμος: aut à corde promanant, ut ea quæ arteriarum systolen & diastolen, pulsum nimirum facit. Primo igitur in loco, an animi ablati, diminuti, an aucti sint, animo perpendito: haud immemor etiã hoc loco, functiones semper aut auferri aut diminui à caussa frigida, idq́ calore uel extincto, uel motu transituq́ præpedito. His perpensis, proximum est ut ad pulsus genera deuenias. Ea in uniuersum decem sunt. Nam ex motionis tempore, celeritas tarditas: quantitate attol-

lendi

lendi se, magnitudo paruitas: ex uirtutis ui, uehementia debilitas: ex ratione corporis arteriæ, durities mollities: ex humore arteriæ, plenitudo uacuitas: à calore cordis & arteriæ, caliditas frigiditas: ab interuallo, frequentia raritas: à rhythmo, concinnitas inconcinnitas: ex pulsus modo, æqualitas inæqualitas: ex numero, ordo inordinatioq́ pulsus oriuntur. Quę omnia latissimè apud Galenũ in libro De differẽtijs pulsuum explicata habes, quo minus hic oratio lõgius prouehatur. Horũ caussæ proximæ atq; immediatæ, quas συνεκτικὰς, hoc est, cõtinentes, Galenus nominat, tres sunt, perspiratio, instrumẽtum, & caussa mouens. Perspirationem nomino, caloris innati quam uocãt euentationem & necessitatem, credo, quòd in omni uita necessaria sit: instrumentum, arterias: caussam mouentem, uirtutem uitalem quæ à corde promanat. Hæc pulsuum genera ubi noueris, si quod à mediocritate suo cuiq; corpori naturale, magnitudine exilitate, celeritate tarditate, raritate frequentia, duritie mollitie, uehementia debilitate, cæterisúe pulsus generibus reces-

receſsiſſe tactu deprehendes, aut erit læ-
ſa perſpiratio, aut uirtus mouens, aut in-
ſtrumentum, atq; id uel ablatè, uel dimi-
nutê, uel corruptè. Sed uirtus quidem ac
perſpiratio aufertur aut diminuitur calo-
ris defectu, corrumpitur & augetur, calo
ris incremento, eadem qua reliquæ fun-
ctiones ratione. Inſtrumentum uerò ſi ui
tiatur, contumax redditur, nec facilè ob-
temperat. Id autem fit, uel quòd, re aliqua
impacta, quo minus dilatari aut conſtrin-
gi poſsit, obſtructum ſit, uel quòd, quàm
pro eo ac eſſe debet, durius molliúsue ſit.
Hís pulſuum locis animo diligenter uer-
ſatis, ad tertij generis, naturalis nimirum
functiones animum cõuertes. Sunt aũt,
ut propoſui, quatuor, attractrix, retẽtrix,
concoctrix, & expultrix. Quæ etſi omni
buscorporis partibus cõmunes ſunt, exi
miæ tamẽ in hepate uentriculoq; exiſtũt.
Quare, ex eis affectis, functionum nocu-
menta præcipuè colligũtur. Cauſſas com
munes quidem omnes, caliditatem ac fri
giditatem habent. à calore enim fiunt, ro
borantur, augenturq;, à frigore minuun-
tur. Priuatas uerò ſingulæ, pro ſuæ facul-

tatis

tatis ratione. Etenim, cum attractrix motu fibrarum attrahentium, expultrix expellentium fit, præter caliditatem, etiam madore quodam organum, quò motui obsequiosius reddatur, delibutum iri par est. Retentrix contrà, cum non motu sed quiete fit, fibras siccas potius postulat. Haud dissimiliter concoctrix, quòd uelut elixando alimentum cõficit, sui instrumenti nõ modò calorẽ insignẽ, sed etiam humorẽ largũ exigit. Ergo, ubi hæ facultates aut ablatè, aut diminutè agunt, scire licet calorẽ deficere, ac præterea in attractrice & expultrice uel siccitatẽ uel humiditatem, in retentrice siccitatem, in concoctrice uel siccitatem uel humiditatem. Nam siue humiditate, siue siccitate unà concidente calor defecerit, aut aufertur, aut certè diminuitur concoctio. At si ex his quæpiam plus iusto aucta fuerit, certum est id quoq;, calorem auctum esse, cęterasq; qualitates pro ratione. Cæterum, an caloris incrementum, decrementum, aliáue quæuis temperaturæ immutatio, ex nudis qualitatibus an ex materiæ calidę frigidæúe affluxu oriatur, ex aliis locis

ad hanc rem propriè pertinentibus capi-
endum est. Quocirca, etiam hos ad manũ
habere prodest. Ita enim inter se consen-
tiunt loci, operamq; mutuam prębent, ut
sine alteris alteri mutili sint. Ab actionũ
læsione ad corporis affectus descendito,
diligenterq; inspicito, si facies tota mori-
bunda, si nasus acutus, oculi distorti, squa
lidi, caui: si tempora concidentia: si aures
contractæ, frigidæ, auersæ: si palpebræ in
somno oculi album ostendant: si frontis
tergus durum, intentum, aridum: si color
corporis liuidus, pallidus, flauus, ater, aut
plumbum referens: si extrema frigeãt, si
ungues decolores, si corporis marcor, si
nimium & inæqualiter incalescunt mem
bra: si flaccida, aspera, aut solito maiora,
ad motum tarda ac segnia: si labra aut pal
pebræ recuruentur: aut alijs aliquibus af-
fectionibus corpus disponatur: quę quòd
ante methodo mihi comprehensæ sunt,
non est cur multa percensendo, hic lon-
gum faciam. Ab his rursum ad excre-
menta transitus est. Ea aut totius corpo-
ris sunt, ut sudores, qui per cæca cutis spi
ramenta excernũtur: aut singularum par
tium

tium, ut thoracis, capitis. Præcipuè tamen alui, uesicę, uētriculi spectari solent, & huius quidem, quod uomitu, thoracis, quod tussi uel screatu, capitis, quod ore, naribus, oculis, auribusq́; alui, quod sede: uesicæ, quod pudendo redditur. Hæc, ut latentium interiorumq́; affectuum indicia sunt, ita suæ ratione substantiæ, substantiæ modo, qualitate, quantitate, loco & excernendi tum modo tum tempore æstimari cōsuerunt. Ratione substātię, ut an naturale sit quod egeritur, uerbi gratia, alui, purgamentum, uesicæ, urina: an ex quatuor humoribus ullus, isq́; perfectus ne, ut sanguis, pituita, alterutra bilis, an imperfectus, ut quod ἰχωρ Græcis dicitur: an adustus, ut uitellina bilis: an permixtus, ut bilis adiuncta pituita: an corruptus alieniq́; generis, ut in febre pestifera alui egestiones, in malo ulcere sanies: an quid præter naturam in corpore genitū, ut calculus, lumbrici, arenulæ, molæ, pili, squamæ, grumi: an quid corporis loci ue affecti excretum, ut intestinorum, dum per dysenterias exulcerantur, strigmentum, & in pulmonum affectibus asperæ

ſuæ arteriæ,quod βρόγχιον Græci nominant, fruſta quædam. Modo ſubſtantiæ,ut durum an molle,leue an aſperum, coactum an fluidum, tenue an craſſum & feculentum, figuratum an liquidum, tenax item an unctum colore & pinguitudine,ſpumans, ſubcruentum, muccoſúmue extiterit. Qualitate,ut an acre, olidum, mordax, aduſtum, concoctum an crudum, ſui coloris an alieni, leue & æquale,an contrà. Quantitate, ut pro naturæ modo, an ſupra infrá ue,conuenientia ijs quæ aſſumunt̃,an plus minús ue reddātur.Atq; id admodúm ne multum, an ualde paucum, an inter utrumq; moderatum. Ac ſi uulnus eſt, an puris modus & magnitudini uulneris, & tempori conueniat, an maior minórue ſit, æſtimandum. Nam plus ex maioribus, plus non dum ſolutis inflammationibus natuturaliter fertur. Loco,ut an non ſuo loco,ut pus in thorace,urina ex ſede. Excernēdi modo,ut num uniuerſim an paulatim, cum dolore an citra, difficulter an faciliter,ſponte an præter uoluntatē,crebro an raro, cum ſono an ſilentio excretio fit.

tio fit. Excernendi tempore, ut num eo tempore quo ſecunda ualetudine conſue uit, an citius aut ſerius, die critico an alio. de quibus omnibus (ſi plura placẽt) multa ab Hippocrate in prognoſtico, & à Galeno, cum in ſuis in id commentarijs, tum in libro De criſibus primo, libro itẽ περὶ τέχνης ἰατρικῆς, & libro primo De locis affectis, ad manum parata habes. nobis ſatis ſit exempli gratia, in ſumma tantum, quædam leuiter attigiſſe.

His, de ſignis atq; cauſsis ita poſitis & conſtitutis, ſequitur ut de morbo dicam, eiusq; curandi methodum tradam. Principio igitur, morbus affectus eſt præter naturam, à quo primum uitiatur actio. Eius tria genera ſunt, intẽperies, mala compoſitio, & ſolutio continuitatis. Quæ omnia, quid, qualiaq; ſint, quas ſpecies partéſue habeant, ut ex contraria ijs ratione quę de tribus compoſitionum generibus ſuperiori libro mihi dicta ſunt, palam notumq; eſt, ita ex Galeni lib. De morborũ differentia primo, cõpendio diſci poteſt. Vbi igitur morbum qui malè habet, ex his aliquem, ut uerbi gratia, intemperiem

esse ex signis deprehenderis, μεθοδικῶς di
uidendo, primum erit, utrum æqualis an
inæqualis sit accuratè æstimes. Aequalē
uóco, quæ omnibus corporis affecti parti
bus ex æquo inest: inæqualem, quæ con-
trà. Si inęqualis est, aut sicca erit, sola qua-
litate alterata, atq; id uel toto corpore, ut
febris, uel parte, ut manu remulcis & fos-
soribus, pede iter agentibus immodicus
calor, eritq; aut simplex, ut calida, uel fri-
gida, una tantū qualitate à naturę ratione
deficiente, aut coniugata, ut calida & hu
mida, calida & sicca, frigida & humida, fri
gida & sicca, duabus unà desciscentibus:
aut humida, præter alteratā qualitatem
affluente etiam humore materiaq;. Ea rur
sum aut calida est, aut frigida. si calida, af-
fluxus est aut sanguinis, eusq; uel modera
ti, boni & integri, nec qualitate nec sub-
stantia affecti, ut in inflammatione: uel te-
nuioris, sanguinisúe partis subtilioris &
aquosæ, qualis est quæ ex uulnere nec re-
cente nec sanescēte emanat, quæ Græcis
ἰχὼρ, Celso sanies rectè nominat̃, quæq;
naturam bilis sapit, ut in erysipelate seu
sacro igne: uel crassæ & feculentæ ad atrā
bilem

bilem uergentis, eiusq; uel adustæ, ut in carbunculo, aut secus, ut in scirri una specie: aut bilis uel sinceræ, ut in herpete, uel quàm pro natura sua crassioris, ut in herpete uorace, (ἐσθιόμενον Græci uocant) uel aquosæ, crudæ, & tenuioris, ut in herpete miliari: Aut utriusq;, sanguinis dico ueri, & bilis illius saniosæ, quam ἰχῶρα nominari dixi, ita ut exuperet pars uel sanguinis puri, ut in φλεγμονῇ ἐρυσιπελατώδει, uel saniei, ut in ἐρυσιπέλατι φλεγμονώδει: uel neuter, sed æqua lance librentur, ut in affectu qui & inflammatio & erysipelas dicitur. Sin frigida est, aut affluit pituita, eaq; uel tenuis, ut in œdemate pituitoso, uel crassa, ut in scirri altera specie: aut atra bilis, ut in cancro. Eodem modo si uitium in compositione, aut solutione continuitatis sit, diuidenda omnia, atq; seorsum inspicienda singula sunt. Ergo intemperies siue simplex siue coniugata, si sicca fuerit, contrariæ qualitatis modis atq; rebus pro ratione, exposita facilisq; curatio est. Pro ratione dico, quòd simplex sicca, quæ duobus gradibus (exempli gratia) à naturæ modo recesserit, du-

ûm graduũ medicamento contrariæ qua
litatis simplicis retundenda est: coniuga-
ta duarum qualitatum ex aduerso respon
dentium præsidio refringenda. Vt si cui
decem quidem numeris à naturali consti
tutione calor auctus fuerit, septem uerò
siccitas, ex caussis salubrib. aliquid, quod
decem numeris frigiditate, & septem hu
miditate par sit, exhibendũ erit. Sin cum
affluxu materiæ, uidendum est, uti indica
ui, sanguis ne sit quod affluit an pituita,
flaua bilis an atra; fluxerit ne qualitatis
immutatæ ratione in calidum, frigidum,
tenue, crassum, mordax, putridum, fla-
tulentum, tenax, & id genus reliqua: aut
quantitate nimia, ut cum repletio tanta
sit, ut aut uasa distendat, aut uirtutem gra
uet: Vnde non abs re ad partem imbecil-
liorem aut copia sui, aut uirtute membri
mandantis atq; exonerantis se, nec copi-
am nec qualitatem molestam ferentis, ui,
aut parte patiente prolectante atq; ad se
trahente humor defluere cogitur. Sed ex
signorũ indicijs ubi iam elicueris, humo-
rem, uerbi caussa, bilem esse, qualitate
tenuem atque fluidam, secundum est, ut
membri

membri recipientis & mandantis naturam æstimes, sit ne extra an intus positũ. Si intus, primum, cuius substantię sit, disquire, laxę ne ut pulmo, an solidę ut membrana, os, neruus: cauæ ut renes, uesica, an secus, ut neruus, chartilago: copiosi sanguinis ut iecur, an exigui ut intestina, uesica: multorũ uasorum ut hepar, an paucorum ut uesica, aut nullorũ ut neruus. Dein, cuius actionis, largientis ne alijs, ut cerebrum, cor, iecur, uentriculus, an accipientis, ut intestina pleniora, uesica, caro, cutis: nobilis ne, ut cor, testis, an ignobilis, ut lienis. Postremo, cuius situs, ut in summo ne fluitet, an imo residat, membro ne nobili, an ignobili adhæreat. Quæ omnia ut in membro fluxum excipiente ac mandante, ita in quauis affecta parte peruestiganda sunt, si curandi indicationes rectè inuenire, omniaq; pro ualetudine fieri cupias. Sed quid caussæ sit tantæ uirtutis in membro mandante quòd depellat, quid debilitatis in excipiente quòd materiam admittat, quid in patiẽte quòd prolectat, dolor ne an calor, ex ijs quæ superiori libro, de ea tuendæ sanitatis parte

quæ reficiẽdo est diximus, quo loco quæ membrum ualidum infirmúmue reddãt exposuímus, atq; ex Galeni libro de medendi methodo decimotertio, exigendũ est. Quibus cognitis, cum fluxio nulla sit, quæ non aut per uasa, aut meatus atq; uias quasdam, quæ materiam fluentem acceptam aliò transmittant, fiat, sint ne eæ amplæ an angustæ, rectæ an obliquæ, uenæ an arteriæ an nerui, uastæ cauitates an exigua foramina, perscrutandum. Motus item, uelox ne & præceps, an tardus & segnis, ad inferna an superna, accuratè peruidendum. Etenim pro horum uarietate, medendi indiciũ uariatur. Vires naturæ inspiciẽdæ etiam. Hæ enim non solum quid, quantum, quo modo agendum, sed etiam an sit omnino agendum docebunt. Siquidem, cum tria sunt in uniuersum, circa quæ omnis medendi opera uersatur, in quibus perpetuò fixos habere oculos conuenit, morbus, subiectum, & natura, ex quibus, morbum depellimus, subiecto sanitatem inducimus, naturam tutamur iuuamusq́;, illa aduersis, hoc secundis, iuxta Galeni illud, con-

traria

traria contrarijs mederi, similia similibus conseruari: hæc tamen nisi natura adiuuante, atq; cũ primis officia sua exercente, frustra tentabimus. Vnde, sapienter Hippocrates, τῶν νούσων γὰρ φύσιες ἰητροί, inquit, φύσεως δ' ὑπουργετὴς ἰητρός: Hoc est, morborum siquidem medici, naturæ sunt, naturæ autem minister medicus. Ea enim est, quæ in corporibus nostris omnium functionum auctor est. Quamobrem, ut discamus quid, quando, quantũq; agere conueniat, ad naturam respiciendum est. Tãtum enim à medico eodemq; modo agendum est, quantum, quoque modo à natura agitur. Si enim naturam fortiter morbo reluctari cernimus, reluctandũ, ubi uidebitur, unà nobis est, eoq; nitendũ quò natura fert, & uictoriæ spes erit: tantumq; euacuationi, alterationi, alteriue alicui motioni mutationiq; indulgendum, quantum natura, porrecto instrumento, probè perficere posit. At si naturã miseris modis afflictam, ac morbo pressam, nullo conatu se mouere conspicimus, nec nobis mouendum quicquàm erit, ne, præterquàm quòd operam luderemus,

remus, subiremus quoque speciem eius ut occisi, quem sors ipsius interemit. Quocirca, naturam semper ob oculos, quoties mederi cõsilium est, habeas oportet. Post naturam, subiecti etiam, hoc est, humani corporis ratio habenda est, quòd id non eiusdem semper, sed diuersissimi temperamenti sit, quòd uarijs animi motibus perturbetur, uarios mores, cõsuetudines, atque uitæ instituta habeat, quòd uarias itẽ regiones sortitum sit, ac pro uarijs anni temporibus, cœli solique ingenijs, uariè se affectũ alteratumque sentit, cuius membra affecta quandoque ea sunt quę in abdito ac profundo sui, quandoque ea quæ in summo posita sunt. Nec minus affectus, pro caussæ maioris minorisúe ratione, plus minúsue à sani eius temperamento recedunt. Quapropter, non omnibus eodem modo, ne si eodem morbo laborauerint quidem, eodemque gradu à temperamento recesserint, medendum est, quanto magis si modo, graduque morbi uariauerint, uarianda medicina est. Nec, cum uarij locorum affectorum, ut dixi, positus sint, eidem semper loco remedia applicãdum,

sed pro

ſed pro circumſtantiarum, affectusq́ue ratione, uarijs modis, uarijsq́ue locis & occurrendum & admouendum. De morbo, qui inter ea quę ſemper præ oculis habenda admonui tertius erat, cuius naturæ, quarumq́ue partium ſit, iam ante pauca delibauimus: nec eſt quamobrem ea repetendo, ijſdem diutius inſiſtam. Ergo ubi morbum profligare uis, hæc quinque capita, (quæ nerui ſunt, atque artus medendi) potiſsimum animo uerſanda ſunt, quid agendum, quantum, quo modo, tempore, & loco. Sed ne hæc fruſtra indicaſſe uideamur, ſi agere ne liceat an ſecus neſciamus, quibus indicijs, an agendum ſit, uidere poſsis, ante paucis oſtẽdemus. Sæpe enim uſu uenit, ut tum uel maximè agendum uideatur, cũ tamẽ citra graue periculum agere non cõceditur, ac proinde ne agendũ quidẽ. An igit̃ agendũ ſit, natura formaq́ue naturalis ęgri indiciũ facit. Nã ſi natura formaq́ue facultatib. inſtrumẽtiſq́ue ſuis integra illæſaq́ue fuerit, ſi attrahere, retinere, conficere, expellere, aſsimilare, cæteraq́ue uitæ munia obire ualeat, nulla in re de forma ſolicitus, ad medendum recta

rectà progreditor. At si natura affecta fra ctaq́ fuerit, non tamen deplorata, prima ratio curaq́ naturæ succurrēdæ esto, sine qua ne agere quidem omnino licet. Tan tum enim agendū, quantū, ut prædixi, ui ribus concessum est. Ad hunc modum, an agendum sit, ubi assecutus sis, proxi mum est, ut quid, quantum, quo modo, loco & tempore agendum sit, inuestiges. Ad quam rem indicationes, quæ inditia quædam sunt omnia rectè exequendi, & ueluti statuæ mercuriales ad scopum om nia dirigendi, plurimum faciunt. Hæ au tem, ut in summa dicam, ex his ferè locis sumi consuerunt: natura morbi, modo recessus à temperamento, ægri uiribus, consuetudine, uitæ proposito, regione, anni tempore, ætate, constitutione, mo tu morbi uel caussæ & quiete, atq; loci af fecti natura. Quam rursus diducimus in temperaturam, substantiam, functionum dignitatem, sensum, positum, situm & figuram. His ita propositis, quid agen dum sit, ante omnia explorato. At uerò quid agendum, natura morbi indicat. Nam si natura sua morbus inualidus sit,

ægri autem natura ſatis ualeat, nihil no-
bis negocij, niſi ut ne pugnantem natu-
ram nulla ratione præpediamus, relictum
eſt. Si ille ualidus, hæc infirma fuerit, ad-
mouenda manus eſt, atq; naturæ cona-
tus medicamentorum auxilio cõtra mor
bum promouendus, idq; rebus contra-
rijs, eiuſdem prorſum generis atque gra-
dus. Non enim ſatis eſt id ſcire, contraria
contrarijs pelli, niſi etiam ad quem mo-
dum, quantitatemq; ea adhibenda ſunt,
perpulchrè noueris. Nihil enim iuuat af-
fectibus calidis frigida admouiſſe, niſi cõ-
uenienti aptoq; pro re nata modo id faci-
as. Etenim, ſi infra modum ea exhibeas,
periculum eſt ne ſuperſint morbi reli-
quiæ quædam: ſi ultra, ne nouum morbi
genus priori contrarium importunè in-
ducas. Nam qui morbum calidum nimi-
um refrigerat, quòd ſanam ſymmetriam
is excedit, morbũ frigidum gignit. Quod
ne fiat, corporis, quod in morbo eſt, natu
ram probè callere, uel in primis oportet:
ut cognito, quantum à uera ſymmetria
morbus declinarit, medicamento, quod
refrigerãdo erit, modum conſtituas. Sed
fieri

fieri nequit, uti alio loco diximus, ut re-
cessus declinationē inuenias, incognito
ad quem usq; modum, cum sanum esset,
corpus calidum, frigidum, humidum, uel
siccum fuerat, quantumq; iam in morbo
constitutum, ab eodem in se sano uaria-
uerit. Quo cognito, expedita est curatio.
Nam si morbus à naturali corporis habi-
tu longè abscessit, ualidis intensisq; indi-
get contrarijs: quod non ita multum, im-
becillis remissioribusq;. Multum autem
recessit à corporis symmetria morbus fri
gidus in corpore calido, aut contrà, cali-
dus in frigido: minus, calidus affectus in
calido corpore, aut frigidus in frigido. Er-
go, si morbus intemperies fuerit calida &
sicca sine materiæ affluxu, frigidis & hu-
midis pro ratione obsistendum. Sin cum
affluxu, & illa quidem ex repletione, eua
cuatione leuandum. Nam morbos ex re-
pletione, euacuatio sanat, ut rectè docet
Hippocrates. Sin in compositione uiti-
um sit, idq; ex obstructione, aperienti-
bus: sed si ex asperitate, lenientibus: si ex
magnitudine, minuentibus malo obuian
dum. Sin in solutione continuitatis, & ea
quidem

quidem ex diſſectione ſit, unione & con ſolidatione ſubueniendũ. Quam ſi quid, ut affluxus, uel humor aliquis redundans impediuerit, quod affluxum eſt, euacuan dum, humor, ijs quæ ſiccandi poteſtatem habent, abſumẽdus. Haud diſsimiliter in affectibus etiã qui ſecundũ naturã ſunt, ab affectus ſola natura, quid agendũ ſit, quibusq́ꝫ rebus, ſimilitudine quadã natu ræ pro cõſeruando corpore facientibus, utendum ſit, indicatio eſt. Quantum uerò agendum, ægri uirtus atque à natu- rali habitu receſſus modus indicabunt, ſiue rerum mole, ſiue gradu agas. Nam uirtus, quantum mole exhibendum ſit monſtrat, ut libra ne, an uncia, an drach- ma uel medicamenti uel cibi. Sæpe enim copioſo uictu, multis medicinis opus fo- ret, niſi uirtutis infirmitas reclamaſſet, ni- ſi moli quãtitatiq́ue demere præcepiſſet. Qua de cauſſa, pro uirtutis uiriumq́ꝫ ra- tione moderandus tum cibus tum medi- cina eſt. Verbi gratia, ſi duobus gradi- bus calfaciendum ſit, ne uirtus affecti cor poris ex tanta calfactione exolueretur, ſeruato quidem contrarij gradu, medica-

menti moles minuenda est. Item, si bilis libræ duæ, scammonij scripulo uno edu-cendæ essent, uiribus ægri id nõ ferentib. bilis uncias tantum sex, totidem scam-monij granis rectè eduxeris. Satius enim est, repetita euacuatione, ac minutatim agendo uirtutem conseruare, quàm se-mel & confertim, eandem prosternère. Recessus uerò modus, quantum, non mole, sed gradu offerendum sit, docet: ut an uno, duobus, an tribus gradibus alte-randum, parum an multum euacuan-dum. Exempli caussa, si à naturali con-stitutione uel temperatura, mala compo-sitione, uel solutione continuitatis, duo-bus gradibus corpus abscesserit, duobus præcise sui contrarij gradibus occurren-dum est. Sed quo modo agendum, ægri mores, consuetudo, uitæ proposi-tum, regio, anni tempus, ætas, constitu-tio, motus quies, natura loci affecti osten dent. Mores. alio enim modo mollis de-licatus & delicijs affluens morbo leuan-dus, alio rusticus atq; laboribus assuetus, etsi idem morbus, eadem recessus quan-titas, si id casus tulerit, utrisque extiterit.

Delica

Delicatulo siquidem medicinam facies gustu dulcem, odore gratam, substantia tenuem, in summa, solitas ægri delitias referentem. Rustico contrà, nulla nec gustus nec odoris gratiæ ratione habita, eandem nulla nec re, gradu, aut mole, dum uires constet, mutata, ad rem usumque tantum, pro suæ naturæ consuetudine exhibebis. Consuetudo. Etenim si æger pharmacis assueuerit, quiduis citra nauseam facilè admittit. Sin minus, mille artibus agendum, mille fucis commendandum medicamentum est, ne alioqui æger medicum aut oderit aut fugiat. Vitæ propositum. nam faber ferrarius, messor, humidis gaudent medicinis, fullo, piscator, siccis, cuius generis catapotia ac pastilli sunt. Regio, anni tempus, constitutio, ætas. Etenim si calida hæc sunt, frigidis, si frigida, calidis demulcendum. Motus, quies. Si enim humoris, seu materiæ defluxus fuerit, ea uel nunc fluit, uel mox fluxura est, uel partim fluxit partim fluit, uel iamdudum fluxa quieuit. Si fluit aut fluxura sit, ad partes loco ad quem defluit oppositas auertenda mate-

ria, indeq́ euacuanda est. Sin conquieue rit, aut à loco ipso affecto euacuanda, aut saltem ad proximas partes deriuanda est. Sin partim fluxit, partim adhuc fluit, & ad locum oppositum trahes auertesq́, & à loco affecto euacuabis. Quod quò dextrè efficias, disquirendus euacuationis locus est, qui à loco patiente nec nimium remotus, nec nimium uicinus, sed in medio inter utrunq; positus sit, ut nec simplex auersio, nec simplex deriuatio, sed mixta, atq; ex utrisq; media fiat. Affecti loci natura quo modo agendum indicat, à sua temperatura, substantia, functionum nobilitate, sensu, positu, situ & figura. A temperatura, ut si calida & sicca naturaliter fuerit, earundemq́ qualitatum aduentitiarum tantam accessionem habuerit, ut iam à naturali temperamento discesserit, hominemq́ ægrum reddiderit, medicamenta tot gradibus frigida humidaq́ esse exhibenda, quot calorem siccitatemq́ supra naturale temperamentum membri aucta esse, coniectura erit, addita etiam re aliqua quæ pro membri temperamento facit secundumq́ sit. Ita enim

enim & medicamen efficacius fœliciusq́ uires suas proferet, & à membro, quàm si nullo prorsus secundo adiecto admo-ueretur, facilius admittetur. Exempli caussa, ubi cor supra modum calfactum refrigerare uelis, nonnihil calidi præsidij admisceto: ubi cerebrum calfacere, ali-quid de frigido. frigidum enim cerebro, calidum cordi secundum amicumq́ est. A substantia, ut si durum solidumq́ mem brum sit, quo aditus penetratioq́ detur, medicamento aliquid quod tenuis sub-stantiæ sit, adiungemus. A functionum nobilitate, ut si pro corde aut uentricu-lo medicinam exhibeas, quorum alte-rum spiritus quo uiuimus, & caloris quo fouemur, alter concoctionis, nobilissi-marum operationum, auctor est, memi-neris cordis medicinæ semper odora, uen triculi, constringentia & calfacientia adij cere, etiam si morbus horum nihil postu-lauerit. Nam odores ad calorem inna-tum, spiritusq́ uitales fouendum recrean dumq́, astrictio ad continendum, calfa-ctio ad concoquendum uel maximè pos-sunt. Atque ut uno uerbo dicam, cuius-

cunque generis functiones fuerint, ut cum iis consentiant medicinæ, secundáque omnia sint, ex toto curandum. A sensu, nam si acuti sensus locus est, mitioribus; si obtusi, uehementioribus, si id res exigit, agendum est. A positu inditium est medico quidem chirurgico, quo modo ligandum, incidendum, inurendûmue sit: pharmaceutico uerò, quemadmodum inungendum, fouendum, & medicamentum exhibendum: ut, ubi morbus membrum, quod alte positum est, occupat, quò ad id medicamenti, cætera tum re tum qualitate pro morbi ratione confecti, uis penetrare facilè possit, deligenda esse ea quæ tenuium partium sunt, aut admiscendum esse aliquid, quod substantiæ tenuitate, id quod crassiusculum est in intimas partes deducat, ut pro eo esse posit, ac si tenuium partium esset. Nec minus inditio situs profundus est, medicamento, ne eundo iustas uires amittat, tantum ex auctario esse adiungendum, quantum in itinere discessurum coniicimus. A situ & figura. ut si quas uias pars habeat, per quas in alia mem-
bra

bra pertinẽtes, eiſdem fluxu moleſta eſſe
poſsit, ſi in principes partes eæ ducunt,
intercludendas, atq; in ignobiles auerten
das eſſe. Itidem ſi longa & præceps fue-
rit, ut gula, aut lunata & continens, ut
uentriculus, hic ſalubriter infundenda
medicamina, ſi exulceratio exercet, quòd
quieti locus eſt, illic non niſi ſenſim & iu
giter inſtillandum, quòd non conſiſtere,
ſed obiter tantum præterluere datur, lo-
corum ſitus & figura de ſe inditio ſunt.
Proinde, ut in uentriculo quælibet, dum
ad rem ſunt, ex uſu eſſe indicatio eſt, ita
in gula non niſi craſſa & lenta, natura lo-
ci docet: craſſa, ne diffluant, lenta, ut ad-
hæreant. Eodem modo in utriuſq; inteſti
ni, plenioris dico & tenuioris, uitijs, per
infernáne an ſuperna medicamenti uſus
ſit, ſitus figuraq́; patientis loci indicabit.

Quo loco agendum, membri affecti
poſitura commonſtrat. Vbi enim affe-
ctus eſt, ibi adhibendum remedium eſt.
Vt ſi in pleniori inteſtino uitium fuerit,
ut cauſſam elidas, clyſma ſubter dediſſe
prodeſt. Si in tenuiori, pharmaco ore aſ-
ſumpto rectius aluum duxeris. Si in uen

triculo, itidem, ac præterea uomitu. Si in iocineris parte gibba, uel renibus, urinam mouendo malum auferes. Quo tempore agendum, loquuntur motus & tempus morbi. Motus, ut si uelox præcepsq; sit, quòd protinus occurrendum est. Etenim, in hoc genus morbis mora periculum trahit. Quamobrē, peracutis eodē die medendū est, & uictus, quantus maximus potest, tenuissimus præcipiendus est, uti rectè cōsuluit Hippocrates. Siquidem hic procrastinatio, nō uacat periculo, maximè quum in extremis morbis extremi sunt dolores. Sin motus tardus sit, materiaq; non turgida, non circūflua, sed quieta extiterit, indicatio est prius expectandam concoctionem esse, quàm aliquod operæpreciū moliaris. Iam, tempus morbi indicat, quòd in morbi principio euacuacio attentanda non est, sed in augmento, ubi manifesta concoctionis signa fuerint, quodq; in inflammationum principijs, à medicamentis, quæ digerendi discutiendiqúe uim habent, abstinendum: in incremento uerò atque statu, eisdem audacter utendū. Et hæc quidem de

meden

medendi ratione, caussis, atq; signis morborum, pro methodo, quæ uniuersalium tantum est, abundè erunt. Nam methodus hoc peculiariter præstat, ut ex breui & elementari principio ad particularia conferendi te facultatem habeas.

Atque ita de summa medicinæ censuimus, hactenusq; quàm potuimus sanè paucissimis, utranq; eius partem, ὑγιεινὴν καὶ θεραπευτικὴν, suo quamq; libro complexi sumus, indicauimusq; quemadmodum illa conseruando, præseruando, corrigendo, & reficiendo tueri sanitatem: hæc ex caussarum notitia, signorum inditio, & agendi animaduersione morbum profligare posit: cum eo, quòd de natura & utilitate methodi sub initio in hunc finem diximus. Superest id solum, ut studiosus quisque, qui ex hac medendi methodo commodum atque fructum capere uelit, hac duce, nacta medendi materia, & caussarum salubrium copia, in particularium morborum curatione se exerceat. Nam illud ignorari non oportet, nullam artem sine methodo, quę uniuersalium est, & exercitatione, quæ

ſingularium ratione conſtat, parari poſſe. Neq; enim eſt quòd quis ſperet ſe poſſe medendis ægris quæ oportet facere, niſi uarijs ſe ante modis particulatim exercuerit, neq; exercitationem unquam fore fœlicem confidat, niſi præceptorum uniuerſalium cognitionem conquiſiuerit. In his enim methodus, in illis exercitatio eſt. Quę duo, ueluti pedes ſunt, quibus ingredi unumquęq; oportet, qui artē aliquam adipiſci ſtudet. At quemadmodum qui ſe in iter dant, ſi ambobus pedibus utuntur, atq; uiciſsim utrumq; mouent, inoffenſe & maturè iter conficiunt, ſi altero tantum ſubſultim, crebro offendunt, ac non niſi ſpatio, & graui labore quo uelint perueniunt, (ſi omnino perueniunt,) ita qui ad artis alicuius finē recto tramite, & inoffenſo pede peruenire cupit, methodo atq; exercitatione, duobus facultatum omnium pedibus, illa in uniuerſalibus, hac in particularibus (ut dixi) utatur neceſſe habet. Quòd ſi quis in alterutra tantum firmare ſe uelit, non eſt cur is operæprecium aliquod, aut abſolutum quid ſe conſecuturū unquàm confidat, etiamſi

eò ſum-

eò summo studio ac labore contendat. Si quidem nihil prodest studium peruenien di aliquò, nisi illud quod eò quò intendas ferat deducatque cognoris: ne, si quis sit qui aliter sentiat, sibi imprudens imponat, ac se uana spe lactet.

IOAN. CAII BRITANNI
De medendi methodo libri se- cundi & ultimi finis.

Erratorum caſtigatio.

Pag. 15. uerſu 5. pro eoq́;, lege, eò quòd. Ibidem uer. 15. quodq́; non ſimplex. Pag. 18. uer. 8. indiſcreta Pag. 37. uer. 6. amo-uenda ſunt. Pag. 41. uer. 4. uel uitium. Pag. 71. uer. 10. affecta.

BASILEAE APVD HIERO-
nymum Frobenium & Nico-
laum Episcopium Anno
M. D. XLIIII.